

2016

*Carthago Indiarum Obsessa, Sed Non Expugnata: Praefatio, Editio
Critica, Commentarius, Paraphrasis Versuum Quibus Celebratur
Victoria Hispanorum a Britannis Anno 1741 Reportata*

Dennis Toscano

University of Kentucky, dennistoscano@gmail.com

Digital Object Identifier: <http://dx.doi.org/10.13023/ETD.2016.241>

Right click to open a feedback form in a new tab to let us know how this document benefits you.

Recommended Citation

Toscano, Dennis, "*Carthago Indiarum Obsessa, Sed Non Expugnata: Praefatio, Editio Critica, Commentarius, Paraphrasis Versuum Quibus Celebratur Victoria Hispanorum a Britannis Anno 1741 Reportata*" (2016). *Theses and Dissertations--Modern and Classical Languages, Literature and Cultures*. 5.
https://uknowledge.uky.edu/mcllc_etds/5

This Master's Thesis is brought to you for free and open access by the Modern and Classical Languages, Literature and Cultures at UKnowledge. It has been accepted for inclusion in Theses and Dissertations--Modern and Classical Languages, Literature and Cultures by an authorized administrator of UKnowledge. For more information, please contact UKnowledge@lsv.uky.edu.

STUDENT AGREEMENT:

I represent that my thesis or dissertation and abstract are my original work. Proper attribution has been given to all outside sources. I understand that I am solely responsible for obtaining any needed copyright permissions. I have obtained needed written permission statement(s) from the owner(s) of each third-party copyrighted matter to be included in my work, allowing electronic distribution (if such use is not permitted by the fair use doctrine) which will be submitted to UKnowledge as Additional File.

I hereby grant to The University of Kentucky and its agents the irrevocable, non-exclusive, and royalty-free license to archive and make accessible my work in whole or in part in all forms of media, now or hereafter known. I agree that the document mentioned above may be made available immediately for worldwide access unless an embargo applies.

I retain all other ownership rights to the copyright of my work. I also retain the right to use in future works (such as articles or books) all or part of my work. I understand that I am free to register the copyright to my work.

REVIEW, APPROVAL AND ACCEPTANCE

The document mentioned above has been reviewed and accepted by the student's advisor, on behalf of the advisory committee, and by the Director of Graduate Studies (DGS), on behalf of the program; we verify that this is the final, approved version of the student's thesis including all changes required by the advisory committee. The undersigned agree to abide by the statements above.

Dennis Toscano, Student

Dr. Milena Minkova, Major Professor

Dr. Milena Minkova, Director of Graduate Studies

*CARTHAGO INDIARUM OBSESSA, SED NON EXPUGNATA:
PRAEFATIO, EDITIO CRITICA, COMMENTARIUS, PARAPHRASIS
VERSUUM QUIBUS CELEBRATUR VICTORIA HISPANORUM A BRITANNIS
ANNO 1741 REPORTATA*

THESIS

A thesis submitted in partial fulfillment
of the requirements for the degree
of Master of Arts in Classics
in the College of Arts and Sciences
at the University of Kentucky

By

Dennis Toscano

Lexington, Kentucky

Director: Dr. Milena Minkova, Professor of Classics

Lexington, Kentucky

2016

Copyright © Dennis Toscano 2016

*CARTHAGO INDIARUM OBSESSA, SED NON EXPUGNATA:
PRAEFATIO, EDITIO CRITICA, COMMENTARIUS, PARAPHRASIS
VERSUUM QUIBUS CELEBRATUR VICTORIA HISPANORUM A BRITANNIS
ANNO 1741 REPORTATA*

By

Dennis Toscano

Milena Minkova
Director of Thesis

Milena Minkova
Director of Graduate Studies

May 20, 2016

THESEOS EPITOME

CARTHAGO INDIARUM OBSESSA, SED NON EXPUGNATA:
PRAEFATIO, EDITIO CRITICA, COMMENTARIUS, PARAPHRASIS
VERSUM QUIBUS CELEBRATUR VICTORIA HISPANORUM A BRITANNIS
ANNO 1741 REPORTATA

Opus cui titulus est "Carthago Indiarum obsessa sed non expugnata" est carmen divulgatum sine nomine auctoris saeculo duodevicesimo ad celebrandam victoriam quam Hispani a Britannis Carthagenae Indiarum anno 1741 in bello auris illius Jenkins (vulgo, *the War of Jenkins' Ear*) reportaverunt. In hac thesi tractantur modo satis compendiario res gestae huius proelii quo melius lectores carmen ipsum possint intellegere. Necnon hic inveniuntur ea quae spectant ad huius opusculi genus, indolem et momentum litterariorum. Postremo, praebetur hic editio critica, paraphrasis Latina, commentarius in hoc carmen scriptus. Ex hoc carmine potest conspici quomodo litterarum Latinarum patrimonium pertineat ad omnes aetates, ad omnes gentes, ad omnes patrias.

The work *Carthago Indiarum obsessa, sed non expugnata* ("Cartagena de Indias, Assailed but not Captured") is an eighteenth century anonymous poem that celebrates the Spanish victory over the English at Cartagena de Indias during the War of Jenkins' Ear in 1741. This thesis presents a summary of the battle in order to contextualize the significance of the poem. It further presents a literary analysis of the poem's genre, characteristics, and literary importance, as well as a critical edition, a paraphrase in Latin prose, and a commentary. From analyzing this poem, one can see some ways in which the Latin literary patrimony brought from the ancients pertains to all ages, peoples, and nations.

KEYWORDS: The War of Jenkins' Ear, Battle at Cartagena de Indias,
classical reception, occasional literature in Latin, Neo-Latin

Dennis Toscano
May 20, 2016

DE EIS QUIBUS GRATIAS AGERE DEBEMUS

Hoc opus numquam exstitisset nisi propter auxilium quod accepimus ex nonnullis hominibus. In primis, gratiae sunt nobis agendae Professori Milenae Minkova, quae fuit huius theses moderator. Illa hortata est nos ut in hanc investigationem incumberemus quae non solum pertinet ad nostram stirpem Columbianam, sed etiam ad nostrum studium linguae Latinae necnon litterarum classicarum. Illa, numquam consilia tempestiva non suppeditans, necnon emendationes haud paucas, cogitationes semper utiles, nos iuvit in omnibus huius laboris partibus. Similiter, gratias agimus Professori Terentio Tunberg, consiliario huius theses propter omnia colloquia cum eo habita, quorum ope hoc carmen melius intellegere potuimus. Necnon gratias agimus Professoribus Gueneverae Tunberg, Huberto Martin, huius theses consiliariis pro tempore quod in hoc opus legendo collocauerunt.

Porro, praeter tam magnum auxilium quod e professoribus in nostra academia accepimus, velimus gratias agere collegae nostro Philippo Vogel qui nos iuvit ad discendum programma electronicum ad hanc thesin concinnandam. Tum, gratiae etiam sunt agendae amico nostro Sergio De la Calle García qui primo nos adduxit ad notitiam Domini Blassi de Lezo. Qua sine notitia, haud scio an numquam pervenire potuerimus ad hoc carmen inveniendum. Gratias agimus omnibus qui responsa dederunt nostris interrogatis, inter quos bibliothecarios eruditosque homines numeramus. Postremo, gratias agimus sponsae, Catharinae quae semper animum nostrum erigebat ut metam a nobis propositam attingeremus.

The process of writing this thesis has been a learning journey, through which I have become indebted to many. First, I would like to express my sincere thanks to my professor and thesis chair, Dr. Milena Minkova. She has encouraged and challenged me to start this project, which is relevant both to my native Colombian origin, as well as to my love for Latin and the Classics. She has helped me every step of the way, providing timely and instructive corrections, comments, and suggestions. Similarly, I would like to thank Dr. Terence Tunberg, also a member of this thesis committee, for his assistance and many suggestions in gaining further understanding of the poem treated in the thesis. Further, I would like to thank Dr. Jennifer Tunberg and Dr. Hubert Martin, as other members of the committee, for the time that they have invested in this project, as well as for their insights.

In addition to all the academic assistance received from the faculty, I would like to thank my colleague Felipe Vogel for his assistance. He assisted me in learning the computer program I used to format this thesis. I would also like to thank my friend Sergio De la Calle García, who first introduced me to Don Blass de Lezo. Without the knowledge of such a figure, I would have never arrived at the discovery of the poem. I would also like to thank those who responded to many inquiries of mine, as I worked on this project, such as librarians and scholars. Finally, I wish to thank my soon-to-be-wife, Catherine, for all her support and encouragement in writing this thesis.

INDEX

De eis quibus gratias agere debemus	iii
Index figurarum	v
Prooemium ad lectorem	1
Caput I: De rebus Carthagenaee Indiarum gestis	3
De nomine deque loco urbis	3
De Carthagenaee Indiarum geographia	3
De Carthagenaee Indiarum munimentis	4
De huius proelii causis	5
De ducibus et Hispanis et Britannis	8
De huius proelii consiliis a Vernone paratis	9
De prima incursione in urbem Carthagenaem Indiarum facta	11
De secunda incursione in urbem Carthagenaem Indiarum facta	12
De tertia incursione in urbem Carthagenaem Indiarum facta	13
Caput II: De carmine	16
De editionibus inventis	16
De anno deque loco impressionis	17
De carminis dispositione deque eius structura	18
De huius carminis indole deque genere	19
De sermone huius carminis	21
De vocabulis	21
De figuris rhetoriciis	22
De orthographia ac interpunctione huius carminis	25
Comparatio inter Carthagenaem Indiarum et antiquam Carthaginem	27
Caput III: Editio critica, paraphrasis, commentarius	31
Appendix: Excerptum ex opere Antonii de Herrera cui titulus est <i>Novus orbis sive descriptio Indiae Occidentalis</i>	45
Index subsidiorum quae in hoc commentario nomine compendiario apparent	47
Conspectus operum quae ad bellum inter Hispanos et Anglos Carthagenaee Indiarum gestum sive ad Latinitatem saeculi XVIII aliquomodo spectant	48
Vita	50

INDEX FIGURARUM

Figura 1, Carthagena Indiarum	7
Figura 2, Loca in quae Vernon impetum fecit	10

PROOEMIUM AD LECTOREM

Propositum huius opusculi est praebere editionem criticam, paraphrasin, commentarium carminis quod inscribitur *Carthago Indiarum obsessa, sed non expugnata*. Hoc carmine celebratur victoria Hispana a Britannis reportata in sinu maritimo urbis Carthagena Indiarum anno 1741. Necnon in votis nobis est praebere quandam notitiam de tam magni momenti proelio, quod, mirum dictu, pauci noverunt. At, praecipue nobis operae pretium est in hoc carmen incumbere, quia in America Septentrionali sunt multi qui sciant de ducibus Britannis, qui huic proelio sunt implicati, sicut de Eduardo Vernono et Laurentio Vasingtonio (qui fuit ex patre germanus Georgi illius Vasingtonii), sed puaci sciunt de eorum clade in America Meridiana.

Novus orbis sine dubio est mutatus propter hoc bellum et condiciones quae nunc exstant in terris Americae Meridianae essent aliae, si Britanni vicissent. Licet igitur suspicari, ut exemplum unicum afferamus, homines in terra quae nunc nuncupatur Columbia habitantes, ubi est sita urbs Carthagena Indiarum, non Hispanica lingua, sed Anglica locuturos fuisse, nisi Hispani fortiter a Britannis victoriam reportavissent.

O lectores, videatis hoc carmen Latinis elegiacis versibus scriptum de re non multo ante nos gesta! Videatis qualis sit vis et imperium linguae Latinae. Humanista Laurentius Valla in sua praefatione prima *Elegantiarum linguae Latinae* nobis ostendit quomodo lingua Latina non modo ad cultum Romanorum antiquum, verum etiam ad cultum totum occidentalem, quin etiam ad totum orbem terrarum usque ad reconditissimum locum umquam a mortali visum pertineret. Facta est haec lingua instrumentum quo omnes cogitationes tam novae quam antiquae per aetates transmissae sunt. Nulla alia est lingua quae hoc efficere potuerit, nam sermo Latinus mansit, immo manet idem per saecula. Videatis quo pacto nos hac aetate versantes possimus coniungi cum hominibus qui multo ante nos vixerunt, ut superemus impedimenta temporis et spatii ad colloquendum cum illis.

In capite primo invenietis narrationem de proelio, cuius auxilio poteritis melius intellegere res gestas coniunctas cum litteris. Hae spectant ad editionem primigeniam, ad res inventas in investigationibus, ad dispositionem et structuram carminis, ad indolem et genus dicendi, ad sermonem, ad orthographiam et interpunctionem. Postremo, invenietis argumenta quibus explanamus quomodo Carthagena Indiarum sit in hoc carmine con-

iuncta cum Carthagine antiqua.

In capite tertio invenietis carmen ipsum et quaedam subsidia sicut apparatus criticum, paraphrasin, commentarium. Haec omnia subsidia una cum ipsius carminis textu apparent. Ideoque paginae sunt divisae in quaternas (interdum quinas) partes quae apparent hac ratione: textus in summa parte, duo apparatus (prior titulis dicatus, alter textui¹), dein paraphrasis, denique notae sive commentarius. Ad hanc editionem parandam decrevimus sequi exempla et rationem commentariorum in usum Delphini paratorum. Tali ratione discipuli et lectores possunt uno ictu, ut ita dicam, omnia necessaria ad textum intellegendum in promptu habere.

Ad edendum hoc carmen decrevimus in quibusdam rebus et quoad fieri potuit sequi editiones Oxonienses auctorum classicorum. Ex his editionibus sumpsimus exempla in hac editione edenda ad rationem orthographiae, ad rationem interpungendi, ad rationem usurpandi litteras grandes et minores, ad rationem indicandi numeros versuum. In apparatu critico invenietis quomodo quaedam verba et signa interpunctionis appareant in editione unica electronica, quam invenimus et quae, ut videtur, tradita est in lucem Matriti anno 1742. Tamen, ut modo breviter indicavimus, eas mutationes quae erant indicandae in titulo sive in subtitulis carminis, rebus electronicis non sinentibus, in alio apparatu superaddito includere debuimus. Hic apparatus dicatus titulis et subtitulis est positus supra apparatus praecipuum et infra textum carminis. Ad paraphrasin edendam aliis verbis Latinis, sermone paulo pleniore, oratione soluta usi sumus ad versus carminis in maiorem lucem proferendos. Tali modo lectores possunt et copiam verborum augere et medullitus intellegere sermonem et sensum uniuscuiusque versus. Postremo, in commentario verba et notiones quae fortasse primo obtutu oculorum non patent explanantur.

¹Hanc condicionem, quae nobis fuit haud optanda, adhibere debuimus ob impedimenta technologica in hoc commentario edendo.

CAPUT I
DE REBUS CARTHAGENAE INDIARUM GESTIS

DE NOMINE DEQUE LOCO URBIS

“Carthagena Indiarum,” sive “Cartagena Indiarum,” urbs maritima est, quae sita est in ora oceani Atlantici et in paeninsula et planicie magna. Regio huius urbis iacet in parte septentrionali et occidentali patriae quae hac aetate nuncupatur Columbia. Urbs Carthagena Indiarum cincta est paludibus et sita prope insulas ubique dispersas. Nomen quod est “Carthagena Indiarum” non solum spectat ad urbem ipsam sed ad totum sinum, cuius litoris longitudo est plus quam duodecim milia passuum.² Non compertum est quam ob causam sit tali modo nominata. Tamen exstant quaedam sententiae. Quidam dicunt non exstare causam veram, nam Petrus Martyr Anglerius (Italice *Pietro Martire d'Anghiera*: 1457-1526), annalium scriptor de novo orbe et sacellanus in aula regis Ferdinandi eius nominis II Aragonensis³ dicit se non invenisse causam talis nominis. Alii dicunt naucleros Nova Carthagena Hispanorum oriundos, qui primo Carthaginem Indiarum detexerint, sic urbem nominare decrevisse cum Carthagena Indiarum esset tamquam Carthago antiqua, quae fuit praedita portu tutissimo totius “Maris Nostri.”⁴ Alii dicunt Carthaginem Indiarum esse tali modo nominatam, propterea quod forma eius sinus videatur esse similis insulae Hispanae nomine *Escombreras*, quae insula est adiuncta urbi Novae Carthagene Hispanorum.⁵

DE CARTHAGENAE INDIARUM GEOGRAPHIA

Totus sinus maritimus Carthagene Indiarum collocatus est e regione insulae Terrae Bombae sive *Cárex* quae iacet in media parte sinus. A meridie insulae Terrae Bombae est sita insula quae vocatur *Barú*. Inter has duas insulas exstat introitus parvus ad sinum

²Gonzalo Quintero Saravia, *Don Blas de Lezo: Defensor de Cartagena de Indias* (Bogotae: Editorial Planeta Colombiana, 2002), 173.

³Ferdinandus II (n. 1452, m. 1516) in unum redigit regna Hispana quae hactenus erant disiuncta. Etiam mandavit Christophoro Columbo ut exploraret novum orbem.

⁴Quintero, 174.

⁵Antonius de Herrera, *Novus orbis sive descriptio Indiae Occidentalis* (Amstelodami: Apud Michaelem Coli-nium Bibliopolam, 1622), 99.

Carthagena qui vocatur *Bocachica*. Tamen aditus *Bocachica* clausus erat catena ibi posita a Blassio de Lezo, victore huius proelii et praefecto classis Hispanae (de eo plura agemus). Ex altera parte insulae Terrae Bombae quae spectat ad septentriones iacet projecta terra quae vocatur Litora *de la Caleta* et quae dicit ad urbem ipsam Carthagena Indiarum. Terra Bomba et Litora *de la Caleta* coniunguntur obice maritimo (obex maritimus est murus subaquaneus quo naves hostium prohibentur quominus intrent in Carthagena Indiarum sinum. Hic introitus, per quem non licet navibus transire, nominatur *Bocagrande*. A septentrione Carthagena Indiarum exstat alter introitus qui nominatur *La Boquilla*. Hic aditus fit per fossam angustam, quae dicit ad Paludem *de la Tesca*. Licet per aditum qui vocatur *La Boquilla* ad sinum Carthagena intrare sed non sine maximo periculo, nam in utroque latere huius introitus iacent series coraliorum in valde humili aqua. Ibi naves periclitantur ne hanc viam secutae propter aestum in vada ferantur.

DE CARTHAGENAE INDIARUM MUNIMENTIS

Sinus Carthagena Indiarum defenditur nonnullis castellis et aggeribus, qui sunt tormentis instructi. Haec castella sunt aedificata in locis praecipuis ad prohibendos inimicos quominus intrent in urbem. Munimenta et castella quae Carthagena Indiarum inveniuntur sunt haec:⁶

1. Castellum Sancti Philippi (quod situm est in colle, qui appellatur collis Sancti Lazari).
2. Moenia Carthagena et omnia propugnacula et munimenta, quae inveniuntur in regione quae vocatur *Getsemani*.
3. Castellum *del Pastelillo* (quod situm est in insula *Manga*).
4. Castellum *del Mazanillo* (quod situm est in insula *Manzanillo*).
5. Castellum Magnum sive Sanctae Crucis (quod situm est apud litora *Bocagrande*, quae sunt in propinquitate obicis maritimis).

⁶Zapatero, *La Guerra del Caribe en el Siglo XVIII* (Sancti Ioanni Portus Divitis: Instituto de Cultura Puerto-riqueña, 1964), 15.

6. Castellum Sancti Ludovici (quod situm est in parte meridiana insulae Terrae Bombae apud aditum *Bocachica*).
7. Castellum Sancti Iosephi (quod situm est in insula *Barú* apud aditum *Bocachica*).
8. Aggeres tormentis instructi, qui inveniuntur in insula Terra Bomba.
9. Aggeres tormentis instructi, qui siti sunt apud aditum *La Boquilla*.

Tres praecipue sunt regiones, quae defenduntur his munimentis: aditus *Bocagrande*, sinus internus, urbs Carthagena Indiarum.

DE HUIUS PROELII CAUSIS

Causae, quibus bella inter Britannos et Hispanos sint orta in novo orbe saeculo XVIII sunt variae necnon inveteratae. Tamen factum est ut anno 1739 quidam eventus singularis daret initium proelii, quod in carmine “Carthago obsessa sed non expugnata” memoratur. Hoc proelium fuit pars maioris belli, quod ab aure illius Jenkins nuncupatur.⁷

De hoc eventu singulari primum agamus. Evenit ut Hispani deprehenderent navem Britannam a Rebecca nuncupatam quae gubernabatur a Roberto Jenkins et quae legens oram Floridiensem illicite merces vehebat. Hispani, qui hanc navem deprehenderunt, navigabant in nave ab Isabella nuncupata (vulgo *la Isabel*), quae erat ducta a praefecto Ioanne Leonino Fandino (vulgo *Juan de León Fandiño*). Imperavit Fandinus ut non solum merces Britannorum publicarentur, sed etiam ut auris Jenkins exsecaretur. Postquam Jenkins tali modo poenas dedit, Fandinus ei aurem reddidit minaciter dicens: “ito, dicio tuo regi me eodem modo cum eo esse acturum, si hoc facere ausus sit.”⁸ Jenkins, animo offenso, regressus est ad Britanniam, ut primo Londinii omnibus in viis et in senatu Britanno ostenderet aurem amputatam, quam ferebat in lagoena, tum declamaret immanitatem ac ferocitatem Hispanorum.⁹

Hac occasione senator iuvenis Villelmus Pitt, cupidus augendi cursus honorum sui,

⁷Anglice, *The War of Jenkins' Ear*; Hispanice, *La Guerra de la Oreja de Jenkins*.

⁸Hispanice, *Ve y dile a tu rey que lo mismo le haré si a lo mismo se atreve*.

⁹Pablo Victoria, *El Día que España derrotó a Inglaterra*, quinta editio (Matriti: Editorial Edaf, 2015), 105-106.

accedit Britannos contra Hispanos. Rixae inter Hispanos et Britannos iam erant inveteratae, et id quod successit erat Britannis praetextus, quo ulcisci et sic Imperium Hispanum solo aequari possent.¹⁰ Itaque, die 30 mensis Octobris, anno Salutis 1739 bellum est nuntiatum contra Hispanos.¹¹

¹⁰John Cannon, *A Dictionary of British History*, prima editio retractata (Editio electronica: Oxford University Press, 2015), s.v. “asiento,” doi: 10.1093/acref/9780199550371.001.0001. Britanni et Hispani anno 1713 foedus cui nomen est *Utrecht*, icerunt quo finis est datus bello successionis Regni Hispaniae. Propter hoc foedus Hispani amiserunt nonnullas terras, inter quas numeramus Calpem (vulgo, *Gibraltar*) et Balearem Minorem (vulgo, *Minorca*). Britanni autem secundum condiciones pacis datas, debebant servos Imperio Hispanorum in novo orbe praebere per spatium triginta annorum. Britanni animadverterunt se re vera non magnum lucrum ex tali pacto cepisse. Ideoque Britanni dicebant usum huius pacti numerari inter causas praecipuas belli quod ab aure illius Lenkins nuncupatur.

¹¹Victoria, 80–81, 107.




Figura 1: *Sinus Carthagenae Indiarum* (Maps-For-Free; “Relief Maps;” maps-for-free.com; Creative Commons CC0. Nonnullae mutationes sunt a nobis factae.)

DE DUCIBUS ET HISPANIS ET BRITANNIS

De Blassio de Lezo (1689-1741): Blassius natus est ineunte mense Februario anno 1689 Pasaiæ in provincia Guipuzcoa in Hispania septentrionali. Incubuit in artem velificandi inde a puerilibus annis, praesertim ut fieret nauta militaris. Anno 1704 fuit inter naucleros qui pugnaverunt contra classes Batavicas et Anglas Malagae¹² in bello sucessionis Regni Hispaniae. In hoc proelio ictu globi ferrei tormentarii crure sinistro est vulneratus. Hoc vulnere accepto, amittere crus amputatione debuit. Blassius fortiter subivit talem amputationem sine anaesthesia. Dein in proelio huius belli amisit oculum sinistrum et dein in altero proelio bracchium dextrum amisit.¹³ Blassius multos honores adeptus est pro Hispanis, necnon multas terras amissas ab Anglis vel a Mahometanis recepit. Eo duce Hispani a Britannis Carthagenae Indiarum anno 1741 victoriam reportaverunt.

Anno 1716 Blassius iussu regis ad novum orbem navigavit, ut muniret Indias Hispanas contra praedones et invasores. In itinere ad novum orbem praefectus classis quae vocabatur *Galeones* fuit. Copia auri argenteique ex novo orbe sumpta, his navibus ferebatur ad Hispaniam. Blassius in novo orbe militavit ut Imperium Hispanum bene muniretur contra praedones et invasores. In primis factus est dux classis Maris Meridionalis. In Peruvia mansit per spatium decem annorum, ubi uxorem duxit nomine Iosepham Pacheco de Bustos anno 1725.¹⁴ Regressus est in Hispaniam Europaeam, ubi duxit expeditiones Hispanas in Italiam et in Africam. Anno 1737 Blassius navem solvit Carthagena Indiarum versus, quam munire debebat, nam erat urbs alicuius ponderis Hispanis in novo orbe. In proelio gesto contra Britannos, Blassius praefuit sex navibus:¹⁵

1. Navis, cui a Gallaecia inditum est nomen (quae erat navis praetoria).
2. Navis, cui a Sancto Philippo inditum est nomen.
3. Navis, cui a Sancto Carolo inditum est nomen.
4. Navis, cui ab Africa inditum est nomen.

¹²Malaga est urbs maritima sita in meridiana parte Hispaniae et spectans Maurocitenum, quod situm est in Africa.

¹³Quintero 45-49.

¹⁴Idem, 101.

¹⁵Zapatero, 33.

5. Navis, cui a Dracone inditum est nomen.

6. Navis, cui a Victore inditum est nomen.

De Sebastiano de Eslava (1684-1759): Novae Granatae vices regis agebat inde ab anno 1740 ad annum 1749.¹⁶ In hoc proelio habuit officium protegendae urbis Carthagena Indiarum. Honestavit Blassium officio ducendi copias navales in hoc proelio.

De Carolo Desnaux: Tribunus militum in proelio Carthagena Indiarum gesto. Desnaux duxit chiliarchos belli et suo officio maxima cum fortitudine functus est.

De Eduardo Vernone (1684-1757): Eduardus Vernon, Britannus praefectus classis, cui fuit officium ducendi maximas expeditiones in terras Hispanas, quae sitae erant in novo orbe. Impetum ter fecit in urbem Carthagena Indiarum, die 13 mensis Martii anno 1740, die 3 mensis Maii anno 1740 dieque 13 mensis Martii anno 1741. Hac in ultima expeditione est devictus. Georgius Vasingtonius, qui eum magni habuit, nominavit suum domicilium Anglice *Mount Vernon*, antea appellatum *Little Hunting Creek*.¹⁷

De Laurentio Vasingtonio (1718–1752): Germanus (ex eodem tantum patre) Georgi Vasingtonii ducis libertatis Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis. Lauren-tius Vasingtonius duxit 4000 in hoc proelio homines Virginianos ex coloniis Britannis in America Septentrionali sitis.¹⁸

DE HUIUS PROELII CONSILIIS A VERNONE PARATIS

Vernon pervenit ad Iamaicam die 12 mensis Octobris anno 1739 classe novem navium armatus. Ibi exspectaturus erat, donec reliquae naves pervenissent. Interea Vernon parabat consilia contra Indias Hispanas. Vernon igitur tria consilia praecipua instituit: primo, capere urbem maritimam *La Guaira*,¹⁹ dein, capere urbem *Portobelo*,²⁰ postremo, expugnare urbem Carthagena Indiarum et penetrare funditus in Regnum Novae Granatae

¹⁶Victoria, 167.

¹⁷Victoria, 101.

¹⁸Idem, 106.

¹⁹Quintero, 210. *La Guaira* distat 35 chiliometris ab urbe Caracas. Haec urbs locum praecipuum in parte orientali Americae Meridiana occupat. Locus erat similis loci, quem Carthagenam Indiarum occupat in parte occidentali Americae Meridiana.

²⁰Victoria, 118. Urbs maritima in patria, quae his diebus vocatur Panama.

per flumen *Sinú*.²¹ Haec consilia Hispani didicerunt per speculatorem Hispanum *El Paisano*.

Vernon misit parvam classem ad oppugnandam urbem *La Guaira* putans se posse



Figura 2: *Loca in quae Vernon impetum fecit* (Maps-For-Free; “Relief Maps;” maps-for-free.com; Creative Commons CC0. Nonnullae mutationes sunt a nobis factae.)

sine ullo negotio talem urbem obsidere. Tamen copiae Vernonis sunt ibi victae. Post hanc cladem ille iussit copias suas pedem referre, quo melius posset animum intendere in praedam maiorem, scilicet in urbem Carthagena Indiarum. Inde, ut decreverat, misit expeditionem six navibus instructam in urbem *Portobelo*.

Haec parva Vernonis classis pervenit ad urbem *Portobelo* mense Novembri anno 1739. Britanni oppidum tormentis aeneis verberaverunt et factum est ut Hispani fortiter resistere non possent. Vernon, qui non solum arcem debilitatam sed etiam imparatum

²¹Flumen, quod vocatur *Sinú*, est situm in regione meridiana insulae, quae vocatur *Barú*. Hoc flumen in Mare Caraibicum se evomit.

ducem invenerat, victoriam proelio secundo in urbe *Portobelo* reportavit. Victoria ibi reportata, Vernon iussit naves castellaque comburi et captivos, mirum dictu, mitti ad ducem Hispanum Blassium de Lezo. Londinii notitia huius victoriae in sermonem omnium statim venit. Londinienses hanc famam adeo amplificaverunt, ut curarent cudendos numeros, in quibus incisa erant haec ipsa verba etiam Latina: “Vernon semper viret (in uno ex lateribus), et “Portobelo sex solum navibus expugnate (sic).”²² Nov. 22. 1739” (in altero latere).²³ Vernon die 13 mensis Decembris profectus est ad Iamaicam, ubi in animo habebat se parare suosque milites ad impetum in urbem Carthagenaem Indiarum faciendum.²⁴

DE PRIMA INCURSIONE IN URBEM CARTHAGENAM INDIARUM FACTA

Ad primam incursionem contra Carthagenaem Indiarum faciendam Vernon misit Carthagenaem Indiarum versus classem octo navibus instructam ut condiciones terrae disceret et ut Hispanos debilitaret. Scopus huius incursionis non erat capere urbem, sed discere quales essent condiciones sinus et urbis Carthagenaem Indiarum, antequam incurso maior fieret. Itaque primo Britanni ad introitum obice maritimo clausum, qui vocatur *Bocagrande* pervenerunt. Ibi de navibus descenderunt et totam regionem inspexerunt eandemque diligenter investigaverunt. Tum globulos ferreos ex tormentis aeneis pulvere bombardico propulsos proiecerunt ad urbem eo consilio ut comprobarent longitudinem emissionis scilicet tormentorum. Ut patet, Britanni omnes condiciones circumspiciebant, sed etiam cupiebant per dolum provocare Hispanos, ut ad vim et ad arma descenderent. Hispani tamen non sunt decepti Britannorum insidiis, alioquin magnum detrimentum cepissent, etsi omnes hos invasores facile vincere potuissent. Tamen Britanni in sinu Carthagenaem Indiarum per spatium octo dierum quaedam detimenta minora pyrobolis intulerunt tholo ecclesiae cathedralis et lyceo Iesuitarum. Bilis adeo urebat iecur Blasii praefecti classis, ut finem his ludis nugisque dare decreverit. Itaque iussit globos e tormentis in Britannos emitti eosdemque pellere. Hic eventus feliciter sucessit Hispanis, sed Britanni nihilominus iam didicerant ex regione omnia, quae debebant. Britanni igitur

²²Versimiliter, haec forma stat pro “expugnata,” si subaudimus vocem quae est “urbs” coniunctam cum verbo quod est *Portobelo*.

²³Quintero, 211-212.

²⁴Cyril Hughes Hartmann, *The Angry Admiral: The Later Career of Edward Vernon Admiral of the White* (Londini: William Heinemann, 1953), 32.

nunc se contulerunt ad urbem *Portobelo*, quam antea ceperant.²⁵

Dein Vernon, cum in urbe *Portobelo* versaretur et adhuc se pararet ad impetum praecipuum in urbem Carthaginem, decrevit incursionem mittere in castellum Sancti Laurentii apud flumen *Chagre*. Britanni, postquam per spatium duorum dierum globulos ferreos pulvere bombardico propulsos in hostes proicerunt, castello Sancti Laurentii et terra apud flumen *Chagre* die 21 mensis Martii anno 1740 potiti sunt. Tum Vernon iussit omnia aedificia displosione destrui.

DE SECUNDA INCURSIONE IN URBEM CARTHAGENAM INDIARUM FACTA

Cum res ita sese haberent, et Vernon adhuc nondum paratus esset ad capiendam Carthaginem Indiarum, decrevit mense Maio anno 1740 secundam incursionem in urbem Carthaginem Indiarum facere. Causa huius impetus erat iterum ut Britanni inspicerent condiciones sinus maritimi Carthagenae Indiarum. Blassius vero, qui hac vice iam erat paratus, Britannos sine maiore negotio reppulit. Nunc tantum restabat ut Britanni omnibus suis viribus finalem impetum facerent in urbem Carthaginem. Britanni pedem rettulerunt in insulam Iamaicam, ubi manserunt donec Vernon potuit instruere classes valde roboratas. Tamen Londinio sunt missae 170 naves, in quibus vehebantur 9000 homines. Dein Vernoni sunt missi 4000 homines ex Britannis coloniis Americae Septentrionalis, qui ducebantur a Laurentio Vashingtonio.²⁶

Interea, cum Hispani in Europa essent moniti de Vernonis proximis consiliis, miserunt die secundo mensis Novembris, anno 1740²⁷ classem Gallicam et Hispanam duce Roderico Torres, ut Carthagenae Indiarum ora maritima custodiretur. Altera classis Gallica (quae constabat ex duodecim navibus) est missa ad adiuvandos Hispanos, quam regebat Ludovicus de Pardaillan de Gondrin, Dux Gallus Antini (*Marquis D'Antin*).²⁸ Notum est hanc classem esse missam die vicesimo tertio mensis Novembris anno 1740. Haec mansit in insulis Gallicis Caraibicis, ubi impetum Britannorum exspectaverunt usque ad diem secundum mensis Februarii anno 1741. Hoc die decretum est hanc classem debere regredi

²⁵Quintero, 218.

²⁶Victoria, 106.

²⁷Quintero, 226.

²⁸Ludovicus de Pardaillan de Gondrin natus est 1707 et mortuus 1743. Fuit aulicus Gallus et Dux Gallus Antini.

in Europam ob Britannorum moram et egestatem rei frumentariae.²⁹ Similiter factum est de navibus, quas dux Rodericus Torres regebat. Homines in his navibus, postquam Britannos diu exspectaverunt, in primis Havanam petiverunt, tum in Hispaniam reverterunt. Postquam Galli et Hispani in Europam regressi sunt, urbs Carthagena Indiarum iacuit deserta indefensaque. Tamen urbs mirifice aedificata castellis moeniisque non facile capi poterat.

Exeunte mense Ianuario anno 1741 Vernon decrevit se fere omnia habere parata. Exercitus Vernonis erat compositus ex centum et octoginta navibus et viginti tribus milibus et octingentis militibus. Hic exercitus navalis erat maior quam exercitus quem Rex Philippus II paraverat contra Hispanos saeculo XVI. Blassi exercitus ex altera parte tantum constabat ex duobus milibus et octingentis hominibus et six navibus.³⁰

DE TERTIA INCURSIONE IN URBEM CARTHAGENAM INDIARUM FACTA

Cum res ita sint, Vernon iubet vela solvere ad urbem Carthagena Indiarum et die 13 mensis Martii anno 1741, Britannae naves apparent apud partem septentrionalem urbis. Dum hoc fiebat, Blassius ab opinione vices regis agentis Sebastiani Eslavae (qui erat Carthagena Indiarum administrator) dissensit et ob hanc rem rixa inter eos est orta. Nam Eslava credebat Britannos accessuros per aditum nomine *La Boquilla*, Blassius vero credebat eos invasuros per aditum qui vocatur *Bocachica*. Speculatores Hispani didicerant Britannos vere voluisse intrare per aditum, quem Eslava indicaverat (id est, per *La Boquilla*). At, cum Vernonis homines inspexissent aquas humiles et paludosas, veriti ne naves in vada ferrentur, decreverunt mutare consilium et aggredi per aditum *Bocachica* nominatum, ut Blassius non sine causa hoc indicaverat. Britanni igitur decreverunt aggredi regionem *La Boquilla* inde a die 16 mensis Martii. Britanni in animo habebant capere castellum Sancti Ludovici in insula Terra Bomba situm. Ad hoc consilium impetrandum debebant tres aggeres tormentis instructos, qui siti erant in eadem insula, destruere. Cum Britanni ad hunc aditum pervenissent, Blassius poposcit auxilium ab Eslava, nam ei non erant copiae necessariae ad repellendos inimicos. Eslava misit die 17 mensis Martii 155

²⁹Quintero, 226.

³⁰Alii putant Carthagena defensam fuisse ab 6000 hominibus.

homines et prorsus die insequenti iussit Blassium ad se hos milites remittere. Tamen die quinto mensis Aprilis anno 1741 Britanni munimenta, aggeres tormentis instructos et castellum Sancti Ludovici ceperunt.³¹ In hoc impetu, quamquam Britanni amiserant plus quam 1500 homines, Blassius amisit quattuor naves, quarum tres Britanni merserunt. Hae nuncupatae erant a Sancto Carolo, a Sancto Philippo, ab Africa. Una navis, quae nuncupabantur a Gallaeca, est ab Britannis capta. Tantum Blassio supererant naves nuncupatae a Dracone et naves nuncupatae a Victore. Propter hanc victoriam Britanni curaverunt cūdendos nummos, in quibus hac vice haec verba conspiciebantur: *The Spanish pride pull'd down by Admiral Vernon* (in uno ex lateribus), et *The British heroes took Cartagena. April-1-1741* (in altero latere).³²

Dein vices regis agens Eslava voluit mergere duas naves Blassi apud paeninsulam, quae iacet inter Litora *de la Caleta* et Terram Bombam, ut impedirentur Britanni quominus transirent ultra in sinum Carthagena Indiarum ad urbem ipsam. Blassius vero, qui non cum eo stabat, dixit aquas in illo loco esse adeo altas ut his navibus mersis non aditum prohibitum iri Britannis. Eslava consilia Blassi sequi noluit et iussit duas alias naves eius mergi. Britanni naves per illum aditum, ut Blassius praedicaverat, perducere potuerunt. Sic Britanni ceperunt alia castella (inter quae castellum Sanctae Crucis et castellum Sancti Ludovici *de Manzanillo* numerabantur) et monasterium in parte summa totius urbis, cui nomen est *La Popa* (vid. Fig. 1).³³ In colle huius monasterii Britanni collocaverunt multa machinamenta ad urbem Carthagena inde expugnandam. Fere tota urbs Carthagena erat casura potestati Britannorum, nam tantum castellum Sancti Philippi restabat ut urbs omnino expugnaretur. Urbs Carthagena videbatur tantum posse miraculo quodam servari.

Die 20 mensis Aprilis, tempore antelucano hostes Carthagena Indiarum pervenerunt eisque Hispani paraverant quosdam dolos. Hispani effoderunt fossam circum moenia castelli ne inimici scalis marginem moeniorum superare possent. Tamen hora 10:45 a.m. duo millia et octogenti milites Britanni in agmine progrediebantur in ora Carthagena

³¹Quintero, 243.

³²Idem, 246. Quaedam exemplaria horum nummorum servantur in Museo Nationali Colombiano Bogotae sito.

³³Victoria, 279.

contra Hispanos. Condiciones Hispanorum non videbantur tutae nec secundae. Hispani in terra collis Sancti Lazari, ubi situm est castellum Sancti Philippi, formaverunt tortuosas vias, quibus forma similis erat litterae “z,” ut Britanni plura obstacula et moras haberent in ascensu collis. Dein Blassius de Lezo iussit duos viros suos falso agere ut profugas. Hi duo indicaverunt Britannis locum falsum, ut impetum facerent eo loco, ubi Blassius eis insidias paratas habebat. Ob has insidias multi Britanni ibi perierunt. Interea alii Britanni frustra conabantur ascendere moenia scalis ligneis, quarum longitudo non sufficiebat. Nam Hispani nocte praeterita consulto effoderant fossam circa moenia, ne Britanni possent muros ascendere. Interea Hispani arcent Britannos, in quos proiciunt oleum calidum et globos ferreos ex tormentis aeneis missos. Britanni gradum paulisper rettulerunt, ut se pararent ad ultimum impetum faciendum in castellum per clivum. Subito meridie sonus cornus auditur, quo Hispani iubentur preces Deo effundere. Precibus effusis, Hispani et Britanni se parant ad ultimam pugnam.³⁴

Blassius, cum vidisset tot Britannos premere castellum apud clivum, decrevit strategema ultimum et extremum usurpare, quo imperavit Desnaux duci et tribuno militum ut aperiret ianuas castelli, quae dabant exitum ad declivitatem clivi (nam hoc consilio usus cupiebat ultimos trecentos milites Hispanos, qui remanebant in castello Sancti Philippi, maximo cum tumultu decurrere in Britannos ascendentibus per clivum ad castellum). Desnaux, quamquam primo dubitavit, Blassio oboedit. Milites trecenti exiverunt maximo cum clamore, veluti ferae, incucurrerunt in hostes et phalangem perfregerunt. Britanni, gradum rettulerunt ad perstringendam phalangem ruptam, quod effecit ut Britanni alii cum aliis pedes offenderent. Britanni, qui terrore inexpectato affecti sunt, cadunt et fugiunt deicientes arma, pila, gladios, tela omniaque quae ferebant. Tali modo Britanni sunt Carthagena omnino expulsi. Tum Hispani iterum receperunt castella antea capta a Britannis et monasterium *La Popa* nominatum. Vexillum Hispaniae iterum in urbe Carthagena vento agitabatur.³⁵ Tali modo Hispani victoriam a Britannis reportare potuerunt.

³⁴Idem, 303-307.

³⁵Idem, 309-311.

CAPUT II
DE CARMINE

DE EDITIONIBUS INVENTIS

Postquam editionem electronicam huius carminis in rete universalis offendimus, coepimus quaerere alias editiones typis excusas, quae in quolibet loco orbis terrarum sub pulvere iacerent. Nam duae praecipuae difficultates primo obtutu in hac editione, saltem nobis, videbantur exstare. Primo, haec editio non videbatur esse usquequaque integra. Dein, nobis non patebat cur omnes paginae apparerent bis expressae (post primam paginam, appareat prima pagina iterum expressa, quam sequuntur secunda et tertia pagina; post tertiam paginam denuo secunda et tertia pagina in eodem documento apparent collocatae).

Ad has difficultates penitus investigandas nos contulimus ad indicem interretialem, in quo libri ex multis bibliothecis societate coniunctis descripti inveniuntur (vulgo *World-Cat*). Ex hoc indice didicimus exstare exemplar huius editionis apud Bibliothecam Britannicam Londinii sitam (vulgo *The British Library*). Hac re comperta, ad ministros illius bibliothecae scripsimus ut exemplar arcesseremus.³⁶ Bibliothecaria qua fuit benignitate, nuntiis affabilibus explanavit difficultates et dubia quae in editione electronica apparent.

Quod attinet ad primam difficultatem, non invenimus ampliorem editionem nec indicia, quibus possemus asseverare nostram editionem esse mancam. De secunda difficultate: didicimus paginas esse bis expressas propter mendum. Tamen de tanti laboris et sudoris investigatione paucis agamus. Bibliothecaria Londiniensis explanavit editionem chartaceam servatam in Biblioteca Britannica tantum constare ex quattuor paginis, quarum ultima pagina appareat vacua.³⁷ In hac ultima vacua pagina apparent haec signa impressa: “6 MA 50,” quae stant pro die 6 mensis Maii, anno 1850, quo die exemplar est acceptum a Biblioteca Britannica. Haec signa in editione chartacea apparent colore rubro,

³⁶Gratias agimus omnibus bibliothecariis in Biblioteca Britannica, qui nos adiuverunt. Praesertim gratias agimus atque habemus his bibliothecariis, quae benignissime nonnulla indicia suppeditaverunt. Eis nomina sunt: Lina Nemanyte, Claire Nicholas-Walker, Quona Wright.

³⁷“These four pages have been photographed twice in error - I'll contact the relevant department to try and get this corrected as soon as possible. There is no page in the hard copy that does not feature on the Google Books version” (Ex epistula electronica accepta a Quona Wright, bibliothecaria Bibliothecae Britannicae die 26 mensis Februarii anno 2016).

quo significatur hoc exemplar illo die esse emptum. In summa prima pagina ad dextram numerus qui est tria manu scriptus conspicitur. Hoc numero significatur tertium opus in serie librorum, qui sunt tales quale hoc opus.³⁸ His indicis freti possumus asseverare editionem electronicam, qua usi sumus, esse prorsus eam quae servatur in Bibliotheca Britannica. Alia editio est postea inventa in catalogo Bibliothecae Palafoxiana, quae sita est in Civitate Angelorum in patria Mexicana. Haec editio constat ex eodem numero paginarum ac editio, quae est servata in Bibliotheca Britannica.³⁹

Praeter haec ad virum Columbianum eruditissimum et senatorem rude donatum Paulum Victoriam quoque scribere decreveramus. Quo nullus peritior in orbe terrarum huius proelii, quod Carthagena est factum. Quamquam inter amicos tanti viri ob hoc commercium habitum nunc numeramur, tamen significavit nobis ille se nihil umquam hoc de carmine audivisse. Inde nobis hoc carmen esse omnino hac aetate ignotum videtur. In votis nobis est ut plura indicia sive de auctore sive de aliis exemplaribus huius carminis nobis olim innotescant.

DE ANNO DEQUE LOCO IMPRESSIONIS

Nunc paulisper consideremus ea quae didicimus de anno deque loco, in quo hoc opus est in lucem datum. In catalogo librorum impressorum, qui in Museo Britannico servantur, invenire possumus quaedam documenta certa pertinentia ad hoc poema. In hoc catalogo, sub voce “Carthagena” apparent nomen huius carminis quod est “Carthago obsesa (sic) sed non expugnata,” urbs Matritum (ubi creditur haec editio esse expressa) et annus 1742 (quo anno verisimiliter carmen est divulgatum). Iuxta urbem et annum sunt signa interrogationis, quibus significatur adhuc extare quaedam dubia de loco deque anno impressionis.⁴⁰

³⁸Quod spectat ad numerum, qui appetat in prima pagina poematis, haec didicimus ex bibliothecaria in Bibliotheca Britannica: “The ‘3’ indicates that it is third item bound in with other items, all sharing the pre-fix 11405.d.56” (Ex epistula electronica accepta a Quona Wright, bibliothecaria Bibliothecae Britannicae die 26 mensis Februarii anno 2016).

³⁹Gratias agimus humanissimo Miller Krause qui nobis indicavit hanc editionem in Bibliotheca Palafoxiana extare. Quamquam scripsimus ad bibliothecarios Palafoxenses, numquam illi ad nos rescripserunt.

⁴⁰British Museum: Catalogue of Printed Books, vol. Calo-Camp, (William Cloves and Sons, Londini, 1885), 123. Lemma pertinens ad hoc poema in hoc catalogo sub voce quae est “Carthagena” sic appetat: Carthago Indiarum obsesa sed non expugnata. (Madrid? 1742?), s.sh. 4o, 11405.d.). Signum compendiarium quod est “s.sh.” stat pro “single sheet.” Signum quod est “4o” stat pro “quarto” et pertinent ad mensuram libri.

DE CARMINIS DISPOSITIONE DEQUE EIUS STRUCTURA

Totum carmen constat ex quinquaginta sex versibus. Hi sunt divisi in undecim partes quae, excepta prima, sunt praeditae subtitalis. Thema uniuscuiusque partis his subtitalis enucleatur. Non facile est decernere rationem, qua hae undecim partes sint ordinatae nec intellegere vinculum quod possit exstare inter eas. Tamen proponimus ut partes totius carminis intellegamus divisas in tria praecipua argumenta. Argumenta sunt haec: primo de victoria Hispana (vid. partes I-III), tum de clade Britanna (vid. partes IV-VI), postremo de condicionibus post proelium (vid. partes VII-XI).

Breviter explanabimus quomodo partes huius carminis sint dispositae, ut apparent in editione electronica unica quam habemus. Carmen appetet typis expressum tribus in paginis. In prima pagina apparent partes prima, secunda, tertia; in secunda pagina apparent partes quarta, quinta, sexta; in tertia pagina apparent partes septima, octava, nona, decima, undecima.

In hac editione, quam paravimus, numeris subtulos ornavimus ad commoditatem lectoris. Hic infra ante oculos videre possumus et partes et numerum versuum, ex quo unaquaque pars constat.

I. Prooemium carminis (haec pars caret subtítulo): constat ex tetrasticho sive ex quatuor versibus.

II. “Carthago Indiarum, cum oppugnaretur ab Anglis: ad Regem:” constat ex duodecim versibus.

Numerus qui est “11405.d.” pertinet ad ordinem datum in serie cuiusdam generis librorum, qui sunt similes huic operi. Tamen secundum commercium epistularum, quod habuimus cum bibliothecaria Bibliothecae Britannicae, videtur exstare erratum in his signis compendiariis. Nam secundum eius opinionem liber non potest eodem tempore constare ex una pagina (“s.sh.”) et habere mensuram quae est “quarto” appellata (“4o”). Huic addidit numerum qui est “11405.d.” esse erratum. Bibliothecaria indicia recta suppeditavit haec: (Title: Carthago Indiarum obsesa sed non expugnata. [Verses celebrating the English defeat at Carthagena.] Publication Details: [1742?] Identifier: System number 000620917 Physical Description: 4°. Shelfmark(s): General Reference Collection 11405.d.56.(3.) UIN: BLL01000620917). Bibliothericaria domina Quona Wright postquam ipsum exemplar inspexit, haec verba nobis contulit: “It is difficult to tell for sure whether this is a single sheet folded in half or to single sheets hand-sewn together. Regardless, it is not a quarto in the strict sense in that it has not been folded twice in order to create 8 pages. Rather, the quarto appears to be related to its size: 20.5cm x 14.7cm” (Ex epistula electronica accepta a domina Quona Wright, bibliothecaria Bibliothecae Britannicae die 26 mensis Februarii anno 2016).

- III. “Protestatio fidelitatis ad regem eiusdem Carthaginis:” constat ex duobus versibus tantum.
- IV. “Ad Angliam post infelicem obsidionis exitum:” constat ex duodecim versibus.
- V. “Ad Anglos milites nimis avidos:” constat ex duobus versibus.
- VI. “Ad eosdem exprobantes Hispanis ignaviam vel timiditatem:” constat ex octo versibus.
- VII. “Superat multos cum paucis Carthago:” constat ex quattuor versibus.
- VIII. “Fama immortalis, quam sibi peperit Carthago Indiarum:” constat ex duobus versibus.
- IX. “Festi ignes primo prohibiti, postea permissi:” constat ex duobus versibus.
- X. “Ad Angliam, et eius occulta molimina in hac expeditione dissoluta:” constat ex duobus versibus.
- XI. “Ad Serenissimum Philippum Borbonium Philippi V regis filium et supremum maris praefectum (fit allusio ad Carthaginem Indiarum urbem):” constat ex quattuor versibus.

DE HUIUS CARMINIS INDOLE DEQUE EIUS GENERE

Cum de carminibus neolatinis loquimur, commoneri debemus nos incumbere in provinciam adeo inexploratam, adeo amplam, adeo variam, ut vix eam certis finibus circumscribere possimus.⁴¹ Tamen pro virili parte conabimur intellegere quale sit genus, qualis sit sermo, qualis sit indoles tam peculiaris carminis.

Possumus dicere indolem huius carminis esse celebratoriam et dicatam ad divulgandam famam Imperii Hispani. Scripta Latina dicata ad promulgandam famam cuiusdam gentis aetate quae dicitur moderna valde floruerunt. Nam multa fuerunt bella et proelia inter gentes ad instituendum novum ordinem gentium, qui nunc exstat. Quaedam exempla horum versuum sunt: carmina a Magno Rönnow de bello magno illo septentrionali composita, Andreae Stobaei carmina celebratoria de victoria regis Caroli illius nominis

⁴¹Iosephus IJsewijn, cooperante Theoderico Sacré, *Companion to Neo-Latin Studies*, pars secunda (Lovanii: Leuven University Press, 1998), 21-22.

XII reportatata Narvae in Russia, et nonnulla carmina de victoria a Turcis Lepanti reportata.⁴²

At hoc propositum divulgandae famae potest inveniri tam apud poetas quam apud prosae orationis scriptores. Haec opera soluta oratione scripta divisa sunt in duo genera quae sunt: documenta de controversiis a magistratibus commissa, et opera nullo satis certo consilio sed prout data est materies condita.⁴³ In hoc ultimo genere inveniuntur et fabulae Romanenses eaedemque allegorice scriptae ad quandam finem coniunctum sive cum re civili sive cum re religiosa (verbi gratia, Ioannis Barclai *Argenis*), orationes et quod nostra interest, carmina. Haec vocantur carmina panegyrica et dicata sunt prorsus ad celebrandos eventus secundos, sicut ad celebrandos novos reges creatos sive ad victorias celebrandas post bella et proelia modo gesta.⁴⁴ Exemplum huius generis primum invenitum est in opere Menandi Rhetoris quod inscribitur Περὶ Ἐπιδεικτικῶν.⁴⁵

Carmen quod inscribitur “Carthago Indiarum obsessa, sed non expugnata” numerari potest inter carmina panegyrica. Tamen, ut res solet fieri in litteris neolatinis, genera non sunt certis finibus circumscripta. Nam tres partes (quarta, quinta, sexta), quae sunt fere in media parte huius carminis, destinantur ad mordaciter deridendos devictos hostes. Hi versus vocari possunt epigrammata, potius quam versus panegyrici. Tamen haec epigrammata videntur esse ibi posita quoque ut victoria Hispana celebretur et divulgetur. Nec videtur scopus praecipuus poetae in hoc carmine pangendo esse diridere inimicos, sed potius agere de laudibus Carthagenaee Indiarum. Cum res ita sese habeant, si necesse est uno verbo genus huius carminis circumscribere, debemus dicere esse panegyricum.

Operae pretium est breviter considerare cur tales litterae et Latinae quidem tam maximo opere floruerint illa aetate. Cum gentes non essent sub uno regimine, coeperunt suam propiam libertatem et indolem quaerere ac definire. Cupiebant etiam suam ipsorum gloriā divulgare ac promulgare. Dein, cum exstarent tot linguae apud diversas gentes,

⁴²Plura de carminibus a Magno Rönnow compositis possunt inveniri in commentatione doctorali a Elena Dahlberg concinnata quae inscribitur “The Voice of a Waning Empire: Selected Latin Poetry of Magnus Rönnow from the Great Northern War. Edited, with Introduction, Translation and Commentary” (Uppsala: Acta Universitatis Upsaliensis, 2014). Plura de carminibus ab Andrea Stobaei compositis in commentatione doctorali Mariae Berggen quae inscribitur “Andreas Stobaeus. Two Panegyrics in Verse. Edited, with introduction, translation and commentary” (Uppsala: Acta Universitatis Upsaliensis, 1994).

⁴³Anglice, *occasional literature*.

⁴⁴Dahlberg, 42-55.

⁴⁵IJsewijn, 101.

lingua Latina fuit instrumentum utilissimum ac efficacissimum, quo scripta ab omnibus legi possent. Nec linguae vernaculae, quae identidem mutabantur, adhuc erant adeo stabilitae, ut scriptores, praesertim poetae, inde possent sua scripta suo Marte componere. Scribere Latine videbatur aptius, immo facilius, nam exstabant exempla linguae et eruditionis tradita inde ab tempore antiquorum.

Possumus igitur considerare haec scripta panegyrica esse coniuncta cum patriomino litterario tradito inde ab antiquis. Nam scriptores hi neolatini non solum scribebant Latine commoditatis causa, sed ut cultum et humanitatem aliis transmitterent. Poetae neolatini hac aetate erudiebantur imitandis poetis antiquis. Hoc faciebant duabus de causis: ut inde sua carmina pangere possent et ut auditores et lectores exquisitiores delectare possent.⁴⁶ Ideoque, non casu hoc in carmine invenimus, ut in commentario est indicatum, quosdam versus quos noster poeta panxit verisimiliter secutus exemplum Vergilii. Tali modo, poetae his carminibus poterant et docere de momento cultus et humanitatis et suam peritiam in medium coram aliis proferre.

DE SERMONE HUIUS CARMINIS

Omnis versus sunt compositi distichis elegiacis, et non sine causa. Quod metrum a poetis neolatinis in permultis variisque carminibus saepe usurpabatur.

Quod spectat ad morphologiam et syntaxin, sermo huius carminis non est dissimilis sermoni quem legimus apud classicos scriptores. Quidam pauci versus difficiliores videntur esse vel paulo arcessiti vel obscurioribus significationibus compositi. His rebus exceptis, sermo satis purus et integer esse videtur.

De vocabulis

Vocabula fere omnia usurpata sunt secundum usum Latinitatis classicae quibusdam paucis exceptiis quae infra indicabimus:

- *Protestatio*: Haec vox appareat in subtítulo tertiae partis; “Protestatio fidelitatis ad regem eiusdem Carthaginis.” Verbum quod est “protestatio, -ōnis, f.” non invenitur apud auctores classicos. Haec vox appareat apud Symmacum oratorem, qui floruit

⁴⁶Berggen, 30.

saeculo IV post Christum natum (vid. Lewis & Short, s.v. “protestatio”). Hoc nomine substantivo significatur “professio” vel “declaratio.”

- **Allusio:** Haec vox apparet in subtitulo undecimae partis sic: “Fit allusio ad Carthaginem maritimam Indiarum urbem.” Verbum quod est “allusio” proprio sensu sibi vult “ludus cum aliquo” (Forcellini, s.v. “allusio”), quod in hac sententia caret sensu. Potius hoc verbo videtur significari “mentio” (quodammodo velata) de aliqua re.

De figuris rhetoricais

Hae figurae rhetoricae in hoc carmine conspicuntur:

Anadiplosis sive conduplicatio: Haec figura rhetorica fit cum idem verbum vel eadem res in eadem periodo iterantur. Repetitio hic fit tamquam in speculo.

- Illa mihi *soli, soli* mihi gloria crescit (v. 17)

Apostrophe: (aversio apud Quintilianum): Haec figura apparet cum orator (hic, poeta) subito avertit ab auditoribus ad alium hominem (Forcellini, s.v. “apostrophe”).

- Illa ego sum, *Princeps, Carthaginis, aemula priscae* (v. 5)

Epiphora: Idem verbum in fine duarum vel plurium sententiarum usurpatur.

- Stella quamvis, *frustra casura timetur* (v. 1)
tu quoque, Carthago, *frustra casura timeris* (v. 3)

Exclamatio:

- alter homo est homini lupus. *O mirabile factum!* (v. 33)

Hyperbole: Superlatio (Forcellini, s.v. “hyperbole”).

- non ferat auxilium, immo surgat Iberia contra
pro te Carthago quae fuit ante, foret. (vv. 15-16)

Imitatio: Aemulatio sive sermonis sive locutionum aliorum scriptorum.

- alter homo est homini lupus. (v. 33) (c.f. Erasmi *Adagia* I, I, 70)
- cum paucis multos, hic labor, hoc opus est (v. 44) (c.f. *Aen.* VI, 129)
- multos cum paucis sternere nempe viros (v. 46) (c.f. *Carm. Cent.* XXVI)
- Urbs Carthago ruit multos dominata per annos (v. 47) (c.f. *Aen.* II, 363)

Interrogatum rhetoricum: rogatum factum a scriptore tantum ad movendos animos.

Nullum responsum exspectatur.

- Aspicit averso cur te victoria vultu? (v. 19)
- quid iuvat armatis concludere navibus aequor
quaevis in Hispanas si cadit usque manus? (v. 23-24)
- si tua, cum pugnat, gens tibi tota perit? (v. 26)
- pax optata manet si tibi nulla domi? (v. 28)
- Quadrupes non ferre lupos terra Anglic a fertur? (v. 31)
- quis queat has secum conciliare feras? (v. 34)
- iam vos ignavis quis neget esse minus? (v. 40)
- victor si ignavus, quid, rogo, victus erit? (v. 42)

Metaphora: Translatio significationis propriae alicuius verbi ad aliud verbum.

- *Stella* tremat quamvis, frustra cassura timetur (v. 1) [Stella=Carthagena Indiarum]
- quam firmo stabilis figit in axe *polus* (v. 2) [polus=dei]
- fert autem bipedes Anglic terra *lupos* (v. 32) [*lupos*=Anglos]
- tam *lupus* ille rapax, quam gravis iste *leo* (v. 36) [*lupus*=Anglus; *leo*=Hispanus]

Paronomasia sive agnominatio: Haec figura apparet cum verbum usurpatum cum alio paene eodem verbo cui est tantum forma sive unius syllabae, sive unius litterae mutata. Ideoque, horum verborum sonus fiunt similes.

- Est *victus*, *victore* minor; iam collige lector (v. 41)
- *victor* si ignavus, quid, rogo *victus* erit? (v. 42)

Polyptoton: Polyptoton est repetitio verborum quae pluribus casibus vel formis fit.

- Stella tremat quamvis, frustra casura *timetur* (v. 1)
tu quoque, Carthago, frustra casura *timeris* (v. 3)

Prosopopeia sive personificatio: Figura sententiarum per quam res inanimatae loquuntur.

- *Illa ego sum*, Princeps, *Carthaginis aemula priscae* (v. 5)

Res quae ad mythologiam spectant

- Mars Pater in terris, *Neptunus*, regius infans (V. 55)

Res quae ad res gestas antiquorum spectant

- ipse licet veniat redivivus *Scipio*, caesus (v. 7)
- Anglia tot ponat, *posuit* quot *Graecia classes* (v. 9)

Similitudo: Similitudo est comparatio quae inter duas res fit. Haec figura rhetorica introducitur quodam ex his verbis: “velut,” “qualis,” “par,” “sic,” “sicut,” “instar,” “ut.”

- *ut lupus* est Anglus, *leo sic Hispanus* habetur (v. 35)

DE ORTHOGRAPHIA AC INTERPUNCTIONE HUIUS CARMINIS

Orthographia in textibus neolatinis est res valde mutabilis et non certis limitibus definita. Nam editores in officinis editoriis suas proprias rationes interpunctionis et orthographiae adhibere solebant. Interdum in his duabus rebus editores negligebant rationes proprias auctorum.⁴⁷ Nec hi editores quidem semper servabant uniformitatem et regulas firmatas. Aetate renascentium artium editores cupientes regredi ad fontes antiquos, conati sunt in libris excudendis servare quandam uniformitatem orthographiae adhibendae, quae in annos evanuit.⁴⁸

Inter mutationes et anomala quae invenimus in orthographia neolatina possumus numerare quasdam rationes diversas ad scribendas diphthongos “ae” et “oe.” Nam hae diphthongi scribebantur sicut una littera “æ” vel “œ” vel simpliciter “e.” Alia mutatio in orthographia neolatina est ut ita dicamus hypercorrectismus in quibusdam vocabulis quae falso credebantur diphthongum continere (e.g. “coena” pro “cena”). Signa compendiaria etiam adhibebantur ad duplarem litteram “s,” ad coniunctionem “et,” ad particulam encliticam “-que.” Ne praetermittamus loqui de signis diacriticis in orthographia neolatina. His signis indicabatur num vocales essent productae necne. Haec signa constabant ex gravibus accentibus in adverbii, in praepositionibus “è” et “à” et in quibusdam coniunctionibus (e.g. quòd). Accentus circumflexus quoque adhibebatur ad vocales productas indicandas, praesertim in casu ablativo singularis primae declinationis (e.g. spe vanâ).⁴⁹

Exempla harum mutationum in hoc carmine ante oculos nobis iacent. Inde ab titulo principali totius carminis possumus conspicere verbum quod est “obsesa” pro “obsessa” et in primo et tertio versu verbum quod est “cassura” pro “casura.” Talis orthographia videtur esse exorta e quadam confusione in litteris consonantibus duplicitibus adhibendis. Exemplum hypercorrectismi invenimus in verbo quod est “excaepere” pro “excepere” (v. 37). Signa diacritica invenimus in verbis quae sunt “frustrà” (vv. 1, 3), “imò” (v. 15), “contrà” (v. 15). Rationem scribendi diphthongos ut unam litteram “æ” invenire possumus in verbis quae sunt “mœnia” (v. 4), “cæsus” (v. 7), “fugæ” (v. 8) necnon in aliis hic non

⁴⁷Ijsewijn, 472.

⁴⁸Milena Minkova, “Orthography of Neo-Latin,” in *Brill’s Encyclopaedia of the Neo-Latin World*, ediderunt Philippus Ford (†), Ioannes Blomendaal, Carolus Fantazzi, Tom. II. (Lugduni Batavorum: Brill, 2014). 1122.

⁴⁹Idem, 1123.

memoratis.

In hoc carmine adhibuimus rationem quae vocatur classica orthographia in locis, ubi vestigia harum mutationum in editione primigenia inventa sunt. Generatim et universe haec via est praeferenda; nam interdum quaedam ambiguitates exoriri possunt, praesertim inter adverbia desinentia in littera “e,” sicut “bene,” et quasdam formas adiectivorum sicut “bonae.”⁵⁰ Usus orthographiae adhibitae in quibusdam verbis huius carminis quae discrepat ab usu classicae orthographiae inveniri possunt in apparatu critico huius commentarii.

Cum adhuc de orthographia loquamus, quaedam de litteris grandibus sive maiusculis adhibitis in editione primigenia memoranda sunt. Ad hunc commentarium edendum, secuti sumus tria praecepta quae ad orthographiam pertinent. Primo, litteram grandem tantum adhibuimus initio primi versus in singulis partibus carminis (quamquam sunt nonnulli editores qui litteram grandem adhibent in initio singulorum versuum). Nec post punctum, iuxta consuetudinem quarundam editionum (ut solitum est in editione cui nomen est *Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensis*), litteras grandes adhibuimus. Praeceptum secundum quod adhibuimus fuit adhibere primam litteram grandem in nominibus propriis, in locis geographicis, in verbis substantivis et adiectivis, ex quibus verba saltem translato sensu propria possunt intellegi.⁵¹ Attamen, in editione primigenia huius carminis invenimus nonnulla verba substantiva et adiectiva non propria et in medio versu, quae incipiunt vel litteris inclinatis vel litteris grandibus. In editione primigenia undecim tituli, quibus undecim partes huius carminis dividuntur, sunt praediti condicione sat peculiari. Hi tituli scripti omnino litteris grandibus in prima linea uniuscuiusque partis; inde a secunda linea (si titulus constat ex pluribus lineis) titulus appareat litteris minoribus et inclinatis scriptus. Quaedam verba in prima parte litteris inclinatis sunt expressa: “casura timeris” (vv. 1, 3) and “fixa” (v. 4). Hae mutationes quoque, ut apparent in editione primigenia, sunt collocatae in apparatu critico. Cum litterae inclinatae non adhibeantur in contextu editionum Oxoniensium decrevimus mutare omnes litteras inclinatas in litteras solitas.

⁵⁰Ijsewijn, 472.

⁵¹Iosephus Mir, *Probata ratio scribendi et interpungendi in scriptis Latinis* (Romae: Academia Latinitati Foven-dae, 1990), 24-25.

Quod spectat ad rationem interpunctionis, sequenda est ratio hodierna cum de textibus neolatinis agitur. In textibus neolatinis videmus interdum plus necessario signa interpungendi, sicut virgulas, puncta, puncta et virgulas. In textibus enim neolatinis, sicut in hoc carmine, virgulae interdum videntur esse adhibitae simpliciter ad verba separanda. Licet quoque asseverare interdum editores non accuratissime in textibus edendis haec signa collocavisse; fortasse quod non usquequa intellegebant sensum textum quem imprimabant.⁵² At, ut melius intellegamus rationem neolatinam interpungendi, recordari debemus haec signa esse inventa saeculo decimo quinto nec statim usus bene est receptus et propagatus. Ratio interpungendi hodierna habet locum praecipuum et in re grammatica, et in sensu intellegendo ipsius textus.⁵³ In apparatu critico huius editionis inveniri possunt omnia signa interpungendi quae supperaddita videntur secundum usum hodiernum. Secuti obrussam hodiernam voluimus removere obstacula, ne lector tot signis distraheretur.

COMPARATIO INTER CARTHAGENAM INDIARUM ET ANTIQUAM CARTHAGINEM

Cum carmen quod inscribitur “Carthago Indiarum obsessa, sed non expugnata” legimus, cogimur ut de Didonis imperio a Romanis devicto cogitemus. Tamen tales cogitationes hoc carmine legendi non casu neque forte excitantur. Nam nobis lectoribus atque studiosis huius carminis innotescunt satis multa indicia ex versibus ipsis, quibus possumus asservere poetam consulto voluisse talem comparationem ante oculos nostros collocare. Hic erit nobis nunc scopus, videlicet, ut intellegamus vinculum, quod extare videtur inter Carthaginem Indiarum et antiquam Carthaginem a Romanis devictam. Necnon operae pretium erit paulisper considerare quales sint condiciones Carthaginis antiquae et Carthaginæ Indiarum et quae inter has urbes sint communia.

Ambae urbes erant maritimae, erant coloniae maioris imperii, ambae monopolium mercatorum maritimum habebant. In urbe Carthagine antiqua, quae urbs primo fuit colonia Phoenica, iacebat portus, in quo excipiebantur mercatores ex multis regionibus ad mercaturam faciendam. Carthaginieses habuerunt monopolium mercatorum totius maris

⁵²IJsewijn, 473.

⁵³Minkova, “Orthography of Neo-Latin,” 1123.

Mediterranei. Nam ibi metalla, sicut aurum et argentum, proveniebant, quae postea cum aliis populis commutabantur pro textilibus aliisque materiis. Nec in ulla alia terra antiqua ars mercatura facienda maioris habebatur quam apud Carthaginienses. Urbs Carthago antiqua, quae sita erat in litore maris Mediterranei, in hodierna patria Tunisia, erat praesidio omnibus divitiis quae ex Africa proveniebant.⁵⁴

Nec conditio Carthaginorum saeculo XVIII vertente fuit dissimilis ac Carthaginis antiquae. Nam Carthaginorum fuit etiam portus celeberrimus ad mercaturas faciendas cum aliis coloniis Hispanis. Ibi quoque colligebatur tota copia auri et argenti, quae ex novo orbe meridionali proveniebat, antequam eadem copia navibus onerariis mittetur in Europam ad regem Hispanum. Carthagina Indiarum hanc ob causam saepe vocabatur “Clavis Imperii,” quia erat quasi ianua, quae introitum dabat regionibus, unde divitiae Hispanorum proveniebant.

Res igitur pecuniaria valde similis erat apud has duas urbes, sed fortasse nostra magis interest considerare mores et famam utriusque urbis. Apud Carthaginienses antiquos Baal colebatur eique homines sacrificabantur. Carthaginienses apud Romanos non bene audiebant propter suam avaritiam. Licet amicitia haud longaeva⁵⁵ extiterit inter Carthaginienses et Romanos, tamen ea non diu mansit. Postea rixae inter haec duo imperia sunt adeo excitatae ut bella Punica incoharentur. Carthago antiqua tamen, quamquam deleta a Romanis in bello Punico tertio, sibi comparavit novam speciem Romanam. Facta est maxima urbs post Romam. Dein, simili modo, post adventum Chisti, Carthago fere alterum Christianitatis occidentalis caput est facta.⁵⁶

Similiter, Hispanorum fama non erat bona in mundo occidentali. Hispania utpote quae potiretur divitiis magnisque terris in America, in Europa, necnon in Asia, facta est obstaculo quominus Britanni persequerentur sua consilia ad terras dominandas. Itaque, saeculo XVI contumelia est orta contra Hispanos, cui erat nomen “fama nigra” (vulgo *La Leyenda Negra*). Haec fama Hispanorum, inhumana necnon saeva species divulgabatur quod saepe fiebat ope litterarum, plerumque fabularum Romanensium.⁵⁷

⁵⁴OCD², s.v. “Carthage.”

⁵⁵Anno 280 a.C. n. Carthaginienses Romanis auxilium suppeditaverunt cum Pyrrhus incursiones in Italiam mitteret.

⁵⁶OCD², s.v. “Carthage.”

⁵⁷Margo, Hendricks, “Managing the Barbarian: The Tragedy of Dido, Queen of Carthage.” *Renaissance*

De moribus satis: nunc de huius carminis testimoniis reliquum est ut dicamus. In primis, iam inde a titulo huius carminis videmus nomen quod est “Carthago Indiarum,” potius quam nomen quod est “Carthagena Indiarum.” Nonnulla testimonia in scriptis neolatinis, praesertim in novi orbis decriptionibus offendere possumus, ubi huius urbis nomen apparent scriptum ut “Carthagena” sive “Cartagena.” Nomen quod est “Cartagena” inveniri potest in opere Antonii de Herrera quod inscribitur *Novus orbis sive descriptio Indiae Occidental* (Amstelodami: 1622).⁵⁸ Nomen quod forsitan magis solitum in litteris neolatinis ad hanc urbem nominandam est “Carthagena.” Hoc ultimum nomen apparent in multis et diversis scriptis sicut in opere botanico Caroli Linnaei, quod inscribitur *Systema naturae per regna tria naturae* (Lipsiae: 1788).

Deinde in versibus ipsis huius carminis invenimus documenta, quae suppeditantur ad accuratius intellegendum nexum inter Carthagena Indiarum et antiquam Carthaginem. In secunda parte carminis, in qua poeta inducit Carthagena Indiarum personam loquentem de suis laudibus quas regi Philippo V affert, dicitque se esse tamquam insuperabilem Carthaginem antiquam, immo quin etiam meliorem: “Carthaginis aemula priscae / quam nullo vinci tempore posse putes (vv. 5-6);” verbo quod est “aemula” possumus intelligere Carthagena non solum esse Carthaginis antiquae imaginem et effigiem, verum etiam intelligere possumus Carthagena conari omnibus viribus superare Carthaginem antiquam, ut famam maiorem sibi comparet.

Carthagena Indiarum prorsus pollet tamquam vel etiam plus quam antiqua urbs, nam non est devicta. Carthago tria bella Punica passa tandem in ultimo bello pessum data est. Similiter Carthagena Indiarum tria proelia subivit, sed in ultimo proelio hostes suos expulit. Hanc notionem poeta noster per urbis Carthaginis antiquae personam amplificat. Nam Carthagena loquens iubet Scipionem Aemiliatum iam terra et pulvere operum, audere e mortuis venire suamque gloriam denuo petere: “Ipse licet veniat redivivus Scipio, caesus / aut cadet, aut turpi se dabit ille fugae” (vv. 7-8). Carthagena Indiarum non tantum dicit se posse superare Romam eiusque milites in terra, verum etiam Graecos in mari his verbis: “Anglia tot ponat quot posuit Graecia classes” (v. 9). Carthagena Indi-

Drama, New Series, 23 (1992): 167, <http://www.jstor.org.ezproxy.uky.edu/stable/41917288>.

⁵⁸c.f. Appendix, p. 44.

arum praestat omnibus modis bellandi et sese perduxit ad summam dignitatem. In fine secundae partis huius carminis, Carthagena per hyperbolēn pollicetur regi se fore eam Carthaginem antiquam praestantissimam pro eo quae olim fuerit, etiam si Hispani impe-
tum fecissent contra Carthaginem Indiarum: “Pro te Carthago quae fuit ante, foret” (v.
16).

Porro in parte octava poeta iterum comparat Carthaginem cum Carthagine antiqua. Poeta indicat Carthaginem antiquam esse devictam, sed Carthaginem Indiarum habitu-
ram aeternam gloriam: “Urbs Carthago ruit multos dominata per annos / non ruet aeter-
nos haec habitura dies” (vv. 47-48). Notandum est poetam ad componendum versum
quadragesimum septimum versimiliter imitatum esse Vergilium. Nam hic versus, uno
tantum verbo excepto, est prorsus idem versus qui apparet in libro secundo *Aeneidos* in
quo Aeneas describit gloriam urbis Troiae: “urbs antiqua ruit multos dominata per annos”
(*Aen.* II, 363). Cum mos esset poetis neolatinis adeo imitari Vergilium, ut agerent in suis
carminibus pangendis tamquam si essent alteri Vergilii, possumus quoque fortasse videre
quomodo Carthagena Indiarum sit Carthago antiqua reparata eodem modo ac Roma fuit
alia Troia refecta.

Verum quidem haec hactenus: illud unum postremo loco dicamus. Ex nexu inter
has duas urbes considerari potest quomodo Europaei usi sint cultu litterisque antiquis, ut
intellegent tam novum orbem quam eius successus.

CAPUT III
EDITIO CRITICA,⁵⁹ PARAPHRASIS, COMMENTARIUS

SIGLA

add. = “addidi;” scilicet, ad significanda verba a nobis addita, quae non apparent in editione primigenia.

p.1, p.2, p.3 = Numerus paginae in editione a nobis usurpata.

⁵⁹Notandum est, ut indicavimus in praefatione, extare duos apparatus criticos, quarum prior est dicatus titulo et subtitulis, alter contextui ipsius carminis. C.f. “Praeloemium ad lectorem,” p.2.

CARTHAGO INDIARUM OBSESSA, SED NON EXPUGNATA¹

I. PROOEMIUM²

Stella tremat quamvis, frustra casura timetur,

p.1

quam firmo stabilis figit in axe polus.

tu quoque, Carthago, frustra casura timeris:

quassa tremant quamvis moenia, fixa manes.

¹*CARTHAGO INDIARUM / obsesa sed non expugnata.* ²I. PROOEMIUM: add.

1 **frustra**] fristrà 1 **casura**] cassura 1 **timetur**,] timetur, 2 **axe**] Axe 2 **polus.**] Polus. 3 **frustra**] fristrà 3 **casura**] cassura 3 **timeris:**] timeris;

1-4 **Stella ... manes.**] [Poeta] *Quamquam stella quatitur, homines in vanum verentur ne de coelo labatur. Nam immortales dei eam firmiter collocaverunt in vertice coelesti. De te etiam, o Carthagena Indiarum, eodem pacto homines sine causa timent ne de coelo labaris. Quamquam tua moenia agitantur, nihilominus bene firmata in vertice coelesti remanes.*

1 **Stella**] Hic fit comparatio inter stellam et Carthagena Indiarum. Fortasse auctor hac comparatione usus urbis Carthagena splendorem indicare voluit. Hic “splendor” tam ad famam notissimam Carthagena Indiarum, quam ad copiam ingentem auri ibi iacentem pertinet. Carthaga Indiarum dicebatur esse “clavis” ad “mare nostrum” Hispаниcum, nam erat ibi fabulosa copia thesaurorum auri (Victoria, 38).

1 **tremat quamvis**,] “quamquam vacillat,” vel “quamquam scintillat.” “Quamvis” est coniunctio concessiva, quae coniungitur cum modo coniunctivo, qui modus conspicitur in verbo quod est “tremat.” Carthaga Indiarum erat urbs malo omne praedita, nam multi piratae et grassatores saepissime irruerant in hanc urbem ad eam vastandam. Multi ex his piratis e-rant mercere conducti ab ducibus Bataviae, Brittaniae et Galliae, qui erant Hispaniae inimici. Galli, Ludovico XIV rege, cupidi erant Imperio Hispanorum potiendi (Victoria, 37).

1 **frustra**] In cassum, in vanum, nequiquam, i.e. timor est inanis.

1 **timetur**] “stella timetur.” Sensus hic est: quamquam stella (tremit) vacillat, quatitur, frusta (in vanum) homines (verisimiliter, Hispani) timent ne stella cadat. Nam his verbis noster poeta nobis indicat Carthagena Indiarum esse fortissimam, bene stabilitam ac praeclarissimam tamquam stellam in coelo fixam.

2 **quam**] scilicet, “stellam.”

2 **stabilis**] “immortalis (sc. polus).”

2 **figit**] tempore praesenti videtur hic significari actionem figendae stellae identidem ac constanter, nec semel fieri.

2 **axe**] Generatim et universe, “axis” est res circa quam alia res vertitur (Forcellini, s.v. “axis”). Hic “axis” spectat ad apparatum, quo omnes sphaerae coelestes, sicut terra et omnes planetae, sustinentur. Alter: “in vertice,” “in cardine coelorum.” Stellae propter motus coelestes videntur hominibus in terra spectantibus semper motibus agitari nec vero umquam dimoveri loco possunt.

2 **polus**] “dei.” Verbo quod est “polus,” quod est verbum poeticum ad significandum “coelum,” intellegi possunt “dei,” “superi” (Smith, s.v. “sky”), nam “polus” videtur animatus, si figit stellam in axe. In verbis quae sunt “quam firmo stabilis figit in axe polus” (v. 2) subauditur notio Lucretiana (Lucr. 1. 231 “unde aether sidera pascit”) expressa apud Vergilium his verbis: “polus dum sidera pascet” (Aen. I, 608). Polus sive aether dicebatur pascere igne stellas, ut semper lacent. Quamquam hic non agitur de alimento stellarum dando, videmus polum curare stabilitatem stellarum sustinendam.

3 **tu quoque, Carthago**] Nunc poeta Carthagena Indiarum adloquitur, quae est urbs sicut stella immobilis in coelis fixa. Carthaga est tamquam stella propter suam famam.

II.³ CARTHAGO INDIARUM, CUM OPPUGNARETUR AB ANGLIS: AD REGEM⁴

5 Illa ego sum, Princeps, Carthaginis aemula priscae,
quam nullo vinci tempore posse putes.
ipse licet veniat redivivus Scipio, caesus

³Il.: add. ⁴CARTHAGO INDIARUM CUM OPPUGNARETUR / ab Anglis, ad Regem.

5 **aemula**] æmula 5 **priscae**] priscæ 6 **posse**] posse, 7 **licet**] licet

5–6 **Illa ... putes.**] [Carthagenæ Indiarum loquitur] Ecce, Princeps, sum urbs illa notissima, cui magnum est nomen. Sum sicut exemplar antiquae Carthaginis, quam semper invictam et insuperabilem aestimare poteris.
7–8 **ipse ... fugae.**] [Carthagenæ Indiarum loquitur] Nec haec urbs umquam superabitur, etsi venerit ipse Scipio Aemilianus Africanus redanimatus ac e morte redintegratus. Si Carthagena Indiarum insuperabilem capere erit conatus, aut morietur, aut ignominiose fugiet.

5 **Illa ego sum**] Nunc poeta inducit Carthagena Indiarum loquentem prima persona. Carthagenæ Indiarum se esse talem confitetur, ut poeta modo in versibus praecedentibus dicebat. Id est, Carthagenæ Indiarum confitetur se esse firmissimam stellam, quae nec bellis, nec commotionibus moveri possit.

5 **Princeps**] “O Philippe V.” Primus ex domu Borbonia et nepos regis Galliae Ludovici XIV. Philippus V Hispaniae rex bis fuit. Primo regnavit a die 16 mensis Novembris, anno 1700, donec abdicavit dominatum die 15 mensis Ianuarii, anno 1724. Ludovicus I, eius filius regnavit ad mortem per spatium septem mensium. Denuo Philippus V alterum principatum tenuit inde a die 6 mensis Septembris, anno 1724 ad diem 9 mensis Iulii, 1746 (Aguado Bleye, 35, 96–99). Duæ uxores ei fuerunt, quarum prior fuit Maria Ludovica Gabriela de Soboya, altera vero fuit Elisabetha de Farnesio (filia Principis Parmae Eduardi III), quam duxit uxorem, postquam prior obiit (Aguado Bleye, 79–80).

5 **Carthaginis**] “Carthaginis” coiungitur cum verbo quod est “priscae.” Hic agitur de antiqua Carthagine Africana, non de Carthagenæ Indiarum.

5 **aemula**] Verbum quod est “aemula” potest intellegi duobus modis: scilicet, ut “imago” sive “exemplar,” sed etiam ut “ea quae vult esse potior.” Videlicet, Carthagenæ Indiarum non solum conatur imitari, sed etiam superare splendorem Carthaginis antiquae, et versimiliter possumus hoc asseverare, nam non est capta. Nonnullas similitudines inter ambas urbes considerare possumus. Ambae urbes erant maritimæ eisque im-

perium erat in mari. Carthagenæ Indiarum fuit saeculo XVIII sedes mercatoria præcipua Imperii Hispani. Ibi colligebatur tota copia auri, quae veniebat ex Nova Granata et navibus one-rariis in Hispaniam vehebatur. Dicitur Carthago antiqua esse præstantissimus locus temporibus antiquis ad commercia facienda. Ibi, tamquam Carthagenæ Indiarum, colligebantur aurum argentumque, quae postea mittebantur in continentem occidentalem (OCD², s.v. “Carthage”). Postremo, possumus considerare alteram similitudinem, quae spectat ad earum hostes. Nam ambae urbes sunt oppressæ imperio potentiore: Carthago antiqua a Romanis, Carthagenæ Indiarum a Britannis. Tamen, Carthagenæ antiqua est deleta et expugnata, Carthagenæ Indiarum est obsessa, sed non expugnata. Immo, adhuc aliquomodo regnat in moribus et lingua hominum, qui ibi nunc habitant.

5 **priscae**] Verbum quod est “priscus” apud Vergilium potest spectare ad res bonas antiquas (Page, 502).

6 **quam**] scilicet, “Carthagenam Indiarum.”

6 **putes**] modus coniunctivus hortativus (vel paene iussivus) hic adhibetur. Constructio sic intellegi potest: “te, o Rex, hortor ut putas me, Carthagenam Indiarum nullo tempore posse vinci.”

7 **licet veniat**] “quamvis veniat.” Hic “licet” exhibet concessionem et iungitur cum modo coniunctivo.

7 **Scipio**] Versimiliter agitur de Scipione Aemiliano, qui Carthaginem expugnavit anno 146 a.C.n. (OCD², s.v. “Punic Wars”).

7–8 **caesus ... cadet**] Ordo hic est: “aut caesus

aut cadet, aut turpi se dabit ille fugae.
 Anglia tot ponat, posuit quot Graecia classes,
 10 victa vel ad scopulos naufraga classis erit.
 non opus ut nostras externa potentia vires
 augeat, aut rapidam Gallia praestet opem.
 nomen erit, Rex magne, tuum impenetrabile scutum;
 hostibus hoc solo nomine terror ero.

8 **fugae.**] fugae. 9 **Graecia**] Græcia 9 **classes,**] Classes, 10 **scopulos**] Scopulos 10 **classis**] Classis 11 **opus**] opus, 11 **potentia**] Potentia 13 **magne,**] Magne; 13 **scutum**] Scutum; 14 **terror**] Terror

9–10 **Anglia ... erit.**] [*Carthagena Indiarum loquitur*] Parent Britanni tantam navium copiam quantam Graeci (*naucleri egregi*) in suis bellis navalibus parare solebant! Videte quid futurum sit: Britanni devincentur, vel eorum naves in mare mergentur, cum se impegerint in saxa maritima.
 11–12 **rapidam ... opem.**] [*Carthagena Indiarum loquitur*] Non oportet nec duces aliarum dominationum nostras copias roborare nec oportet Galliam cito suum auxilium nobis praebere.
 13–14 **nomen ... ero.**] [*Carthagena Indiarum loquitur*] Fama Carthagena Indiarum, o Hispaniae Rex nobilis, erit pro te praesidium insuperabile; ob hanc famam terrorem in inimicos coniciam.

cadet.” Sensus hic est: si Scipio e mortuis in vitam revocatus venerit, occidetur.

8 **se dabit ... fugae**] Locutio quae est “se dare fugae” sibi vult “fugam capere,” sive “fugere.”

9 **Anglia ... classes**] Cum Carthagena Indiarum fere nihil timere videatur, provocat Angliam ad pugnam, ut habeat quantumlibet numerum navium, etiam maiorem quam Graeci, nautae egregii solebant in proeliis maritimis collocare. Ex Herodoti *Historiis*, scimus Gelonem et Theronem reportavisse victoriam a Carthaginiensibus regeque eorum Hamilcare eodem die quo Graeci vicissent Salamine: πρὸς δὲ καὶ τάδε λέγουσι, ὡς συνέβη τῆς αὐτῆς ήμέρας ἐν τε τῇ Σικελίῃ Γέλωνα καὶ Θήρωνα νικᾶν Ἀμίλκαν τὸν Καρχηδόνιον καὶ ἐν Σαλαμῖνι τοὺς “Ἐλληνας τὸν Πέρσην (Hdt. 7, 166).

11 **potentia**] “imperium,” “dominatus.”

12 **non opus ... opem.**] Die 11 mensis Aprilis anno 1741 tandem navis Gallica nuncupata a Leone, quae veniebant in mora, apparuit ferens rem frumentariam (Victoria, 281). Id est, Carthagena Indiarum non debebit expectare auxilium Gallorum, etiamsi voluerint cito praestare auxilium (ironice hoc dicit, nam in proelio Galli in mora ad adiuvandum venerunt).

12 **Gallia**] Galli erant soci Hispanorum, nam Rex Philippus V nepos erat Ludovici XIV, regis Galliae. Britanni die 30 mensis Octobris, anno

1739 bellum denuntiaverunt contra Hispanos, et postquam Hispani didicerunt Britannos velle sibi comparare Novam Granatam et privare Hispanos suis fontibus divitiarum (sc. auri et argenti), Galli (qui erant socii Hispanorum) decrevereunt die 2 mensis Novembris eiusdem anni mittere classem ad insulas Caraibicas Gallicas, quam praefectus classis Rodericus dirigebat. Galli die 23 mensis Novembris miserunt Havananam classem duodecim navibus compositam, quam praefectus classis Dux Gallus Antini (*Marquis D'Antin*) dirigebat. Galli diu exspectabant impetum Britannorum, sed classes Britannae in prospectu maris non apparebant. Itaque, classes Gallicae decreverunt regredi in Europam. (Quintero, 226–227).

12 **praestet**] suppeditet.

13 **tuum**] scilicet, Regis Philippi V, nam Carthagena Indiarum hic adloquitur regem.

13 **impenetrabile scutum**] His verbis metaphorice intellegitur praesidium tutissimum, quod constabat ex exercitu fortissimo, castellis, propugnaculis multis. Carthagena erat praesidio fisco regali, nam protegebat aditum ad Indias Hispanas, unde maxima copia auri argenteique proveniebat.

14 **hoc solo nomine**] scilicet “nomine ipso, Rex Hispanus eiusque Imperium custodientur.”

15 non ferat auxilium, immo surgat Iberia contra;

pro te Carthago quae fuit ante, foret.

III.⁵ PROTESTATIO FIDELITATIS AD REGEM EIUSDEM CARTHAGINIS⁶

Illa mihi soli, soli mihi gloria crescit,

quod dedam regi me tibi sola meo.

IV.⁷ AD ANGLIAM POST INFELICEM OBSIDIONIS EXITUM⁸

Aspicit averso cur te Victoria vultu?

p.2

⁵III.: add. ⁶PROTESTATIO FIDELITATIS AD REGEM / eiusdem Carthaginis. ⁷IV.:add. ⁸AD ANGLIAM POST INFELICEM / obsidionis exitum.

15 **immo**] imò 15 **contra**;] contrà; 18 **regi**] Regi 19 **Aspicit**] Adspicit

15–16 **non ferat ... foret.**] [Carthagenae Indiarum loquitur] O Rex magne, sive Hispani nullum auxilium mihi (urbi Carthagena Indiarum) dare velint, sive Hispani in me (Carthagena Indiarum) impetum faciant, Carthagenae Indiarum semper erit pro te id quod Carthago antiqua antea fuit.

17–18 **Illa ... meo.**] [Carthagenae Indiarum loquitur] O Rex, fama perpetua tantum mihi erit et amplificabitur haec fama tantum mihi (nec alteri urbi). Nam me unicum et solitariam regis mei imperio subiciam.

19–20 **Aspicit ... nocet**] Cur, o Britannia, victoria tibi non favet? Est tibi detimento quod ante tempus te esse victuram proclaimabas.

15 **non ferat auxilium**] Hic poeta loquitur de auxilio Carthagena Indiarum dando. Subiectum verbi temporalis quod est “ferat” est “Iberia.” Modus coniunctivus hic est potentialis: “mente fingamus hoc.”

15 **surgat ... contra**] Hic poeta per hyperbole loquitur, nam haud versimile est ut Hispani contra Carthagena Indiarum pugnant. Modus coniunctivus verbi temporalis quod est “surgat” est potentialis sive hypotheticus.

15 **Iberia**] scilicet, Hispania nam Ἰβηρίας Graece sibi vult “Hispani.”

16 **Carthago**] subiectum verbi temporalis quod est “foret.”

16 **quae fuit ante**] Carthagenae erit tam insuperabilis, quam fuit antiqua Carthago; sed fortasse etiam Carthagenae Indiarum erit semper erga regem fidelis.

16 **foret**] “esset.” Coniunctivus hic est potentialis sive hypotheticus (quamquam de re minime verisimili agitur, tamen futura), nam non fieri potest ut Hispani aggrediantur Carthagena Indiarum. Fortasse metri causa poeta adhibuit formam quae est “foret.”

17 **Illa**] Verbum “illa” coniungitur cum nomine substantivo quod est “gloria.”

17 **mihi soli**] dativus commodi.

17 **soli**] Anadiplosis (scilicet, iteratio verborum).

18 **quod**] “quoniam;” particula explicativa sive causalís.

18 **dedam**] subiectum huius verbi temporalis est Carthagenae Indiarum, nam illa hic loquitur prima persona.

18 **regi ... tibi ... meo**] Haec verba adhibentur ut obiectum indirectum. Verba quae sunt “regi” et “meo” sunt apposita ad pronomen personale quod est “tibi” (scilicet “Philippo V”). Ordo hic est: (“dedam me”) “tibi, regi meo.”

18 **me**] Haec verba adhibentur ut obiectum directum.

19 **averso**] coniungitur cum verbo quod est “vultu.” Sensus hic est: “non secundo,” “infelici.”

19 **Victoria**] scilicet, “dea Victoria” vel prosopopoeia victoriae, quam Graeci appellabant nomine quod est “Nike” (Νίκη). Haec dea est in primis laudata a Hesiodo, poeta Graeco. Dicitur esse filia Palladis (qui erat ex stirpe Titanica) et Stygis (Styx erat flumen apud inferos). Magni habebatur apud Iovem, nam illa pugnavit contra Titanes, pro deis Olympicis, una cum suis sororibus et fratribus quibus nomina Zelos (Ζῆλος), Kratos (Κράτος) et Bia (Βία). Romani milites hanc deam colere solebant. Eius signum collocatum est ab Augusto prope curiam Ro-

20 hanc praemature te cecinisse nocet.

ut mare sit clausum ratio vult; tu mare laxas:

vis tibi concessum, quod tibi iura negant.

quid iuvat armatis concludere navibus aequor,

quaevis in Hispanas si cadit usque manus?

25 quid iuvat occiduas spe vanâ accersere gentes,

20 **praemature**] præmaturè 20 **cecinisse**] cecinisse, 21 **ratio**] Ratio 21 **mare**] Mare 22 **concessum**,] concessum, 23 **navibus**] Navibus; 23 **aequor**,] Aequor 25 **occiduas**] Occiduas 25 **vana**] vanâ 25 **gentes**,] Gentes,

21-22 **ut ... negant.**] *Cum eveniat ut pontus sit tibi vetitus, tu nihilominus vela in altum das. Desideras tibi facultatem accedendi in mare, sed prohiberis quominus aditum legitimum illuc habeas.*

23-24 **quid ... manus?**] *Quid prodest circumsedere pontum classibus armatis et ad obsidionem paratis, si quaelibet ex his navibus deprehenditur omnino ab Hispanis?*

25-26 **quid ... perit?**] *Quid prodest alios milites ex aliis civitatibus occidentalibus frustra excire, si tui milites, dum bellum gerunt, occiduntur?*

manam. Victoria etiam habetur ut dea antiquissima Sabinorum. Apud Horatium (Ep. 1.10, 49), vocatur “Vacuna,” nam haec dea expellit curas et sollicitudines. Horatius nobis memorat tempulum iam ruinosum huic deae dicatum fuisse sicutum apud villam suam. (OCD², s.v. “Victoria,” “Nike,” “Vacuna”). Hic ironice poeta rogat Britannos cur dea victoria eis non faveat.

20 **te ... nocet**] pronomen quod est “te” stat pro “Anglia.” Subiectum verbi temporalis quod est “nocet” est “hanc praemature cecinisse.” Cum Britanni animadvertisse se non viciisse Carthagenae Indiarum, iusserunt nummos, quibus Victoria Britanna praemature nuntiabatur, colligi. Pudet Britannos hoc praemature nuntiavisse. Pudor est dedecori Britannis adeo ut debeant omnia vestigia huius proelii celare.

20 **hanc ... cecinisse**] infinitivus qui est “cecinisse” adhibetur hic sicut subiectum verbi temporalis quod est “nocet.” Verbum quod est “hanc,” scilicet “victoriam” est obiectum directum verbi temporalis quod est “cecinisse.” Vernonis socii in re publica propter nuntios intempestivos proximae victoriae Britannae curaverunt nummos cundendos, quibus celebrabatur victoria futura Britannia Carthagenae Indiarum. In uno ex lateribus nummorum haec verba incisa apparent: *The Spanish pride pull'd down by Admiral Vernon.* In eodem latere perspicitur Blassius de Lezo qui genibus nixis in terra tradit gladium Vernonii, qui stat ante eum. In opposito latere nummi haec

verba sunt incisa: *The British heroes took Cartagena. April-1-174* (Quintero, 243). Poeta noster ludibrio habet Britannos. Nam videtur rogare num Britanni cultum proprium deae Victoriae tribuerint. Tamen in nummis Britannorum solebat imago deae Victoriae esse depicta. Britanni videntur praeposuisse imaginem falsae victoriae cultui deae Victoriae.

21 **ut mare sit clausum**] “mare clausum” est notio iuridica qua indicatur ius, quod quaedam natio habeat penes quandam regionem maritimam. Humanista Batavus Hugo Grotius (1583–1645) in suo opere quod inscribitur *Mare Liberum* anno 1609 defendit omnes habere ius publicum navigandi in qualibet regione maritima totius orbis terrarum. Tamen Ioannes Selden (1584–1654) defendit doctrinam iuridicam oppositam quae appellatur “mare clausum,” per quam defendit ius proprium cuiusdam nationis quod exstat penes suas regiones maritimas. Selden hanc doctrinam exposuit anno 1631 in suo opere quod inscribitur *Mare Clausum* (*Ships and the Sea*, s.v. “Mare Clausum”).

21 **tu mare laxas**] Britanni navigant in mari prohibito, ac si hoc eis licet facere. Scilicet, Britanni agunt ac si “mare clausum” esset “liberum.”

22 **iura negant**] Hic iterum agitur de regione maritima, per quam secundum leges non licet Britannis progredi.

si tua, cum pugnat, gens tibi tota perit?
ardua quid prodest extra te quaerere bella,
pax optata manet si tibi nulla domi?
consule cauta tibi: sua iure amittere regna
commeruit quisquis vult aliena sibi.

V.⁹ AD ANGLOS MILITES NIMIS AVIDOS¹⁰

Quadrupedes non ferre lupos terra Anglica fertur?
fert autem bipedes Anglica terra lupos.

⁹V.:ad.. ¹⁰AD ANGLOS MILITES NIMIS AVIDOS.

26 **tua**,] tua 26 **cum**] cùm 26 **pugnat**,] pugnat 26 **gens**] Gens 28 **domi?**] Domi? 29 **regna**] Regna 31 **lupos**] Lupos 32 **bipedes**] Bipedes

27–28 **ardua ... domi?**] *Quid prodest tibi petere proelia extra tuos fines, si tranquillitatem domesticam, quam desideras adhuc non habes?*

29–30 **consule ... sibi.**] *Suadeo tibi ut facias tantum res bene consideratas. Meritus est secundum iustitiam perdere suas dominationes ille qui res alienas petit.*

31–32 **Quadrupedes ... lupos.**] *Dicitur regio Britanna non parere lupos quattuor cruribus praeditos, verum enim vero Britannia dicitur parere lupos duobus cruribus praeditos.*

26 **si ... gens ... tota perit**] Postquam Britanni pedem referre coeperunt, carebant re frumentaria et cotidie plures Britanni peribant. Britanni victi se receperunt die 20 mensis Aprilis anno 1741 nec impetum iterum fecerunt in urbem Carthaginem (Victoria, 317).

28 **pax**] anno 1740 Imperator Sacri Imperii Romanii Carolus VI mortuus est et bellum successoris Austriae est gestum inter Britanniam et Hispaniam usque ad annum 1748. Hic verbum quod est “domi” intellegitur pro “in Europa.” Poeta rogat cur Britanni velint quaerere bella in novo orbe, cum adhuc sint bella gerenda in Europa.

29 **consule cauta tibi:**] Antequam Britanni omnino se receperunt, quidam nuntius Britannus est missus ad duces Hispanorum ut eis diceret: *Hemos decidido retirarnos, pero para volver muy pronto a esta plaza, después de reforzarnos en Jamaica* (“decrevimus gradum referre, solummodo ut mox regredi possemus ad hanc plateam, postquam integri et recentes de-

fatigatis succedant in Iamaica”). Blassius de Lezo his verbis respondit: *Decidle a Vernon que para venir a Cartagena es necesario que el rey de Inglaterra construya otra escuadra mayor, porque ésta sólo ha quedado para conducir carbón de Irlanda a Londres, lo cual les hubiera sido mejor que emprender una conquista que no pueden conseguir* (“Dicito Vernon regem Britannum debere classem maiorem instruere ut Carthaginem Indianorum reveniat. Nam haec tantum fuit usui ad carbones ex Hibernia Londinium transferendos: hoc eis melius fuisset quam consilium inire quod persequi non possent”) (Victoria, 317). His verbis (“consule cauta tibi”) ludibrio habetur Vernon, nam iubetur sua proelia cautius eligere ut victor evadere possit. Ceterum Blassius suadet ut carbones in Hibernia (potius quam aurum in America) Vernon quaerat. Saeculo XVIII in Hibernia carbones solebant in vico Arigna effodi. Idcirco contumeliose Blassius proponit consilium nimis facile, quod Vernon consequi possit.

alter homo est homini lupus. O mirabile factum!

quis queat has secum conciliare feras?

35 ut lupus est Anglus, leo sic Hispanus habetur:

tam lupus ille rapax, quam gravis iste leo.

accessere lupi, quos exceperunt leones;

carpere, sunt pauci, qui potuere, fugam.

33 **homo**] Homo 33 **homini**] Homini 33 **lupus**] Lupus. 33 **mirabile**] Mirabile 34 **feras?**] Feras? 35 **lupus**] Lupus 35 **leo**] Leo 36 **tam**] Tam 36 **lupus**] Lupus 36 **quam**] quam 36 **leo.**] Leo. 37 **lupi,**] Lupi, 37 **excepere**] excæpere 37 **leones;**] Leones;

33–34 **alter ... feras?**] *Nam homines agunt tamquam lupi cum aliis hominibus. O res vix credenda! Quis poterit sibi hos feroce lupos in concordiam adiungere?*

35–36 **ut ... leo.**] *Sicut lupi comparantur cum Britannis, sic comparemus Hispanos cum leonibus. Illi lupi sunt eatenus rapaces, quatenus leones sunt praestantia excellentes.*

37–38 **accessere ... fugam**] *Lupi impetum fecerunt, quem leones sustinuerunt. Non sunt multi lupi qui in fugam se dare valuerint.*

33 **alter homo est homini lupus**] Vernon, classis praefectus, exhibuit negligentiam erga dolorem et condicionem vix tolerabilem suorum militum (Quintero, 275). Dicitur Vernon negligentia praeditus non bene curavisse suos milites. Immo, iuvenis nomine Tobias Smollet anno 1748 in lucem dedit fabulam Romanensem quae inscribitur Anglice *Roderick Random*, in qua narrat condiciones vix humanas, quas milites Britanni in hoc bello debuerunt pati (Quintero, 275–276). Haec locutio primo invenitur in Plauti *Asinaria*, II, 495 “lupus est homo homini, non homo, quom qualis sit non novit.” Id est, homo contumeliose tractat hominem, qui non est ei notus. Haec locutio numerari potest inter adagia Erasmi ut “homo homini lupus” sive Ἀνθρωπος ἀνθρώπου λύκος (Erasmi *Adagia*, I, I, 70).

35 **leo**] “fortis.” Per saecula inde a temporibus antiquissimis et apud multas gentes leo magni censebatur, nam omnibus aliis animalibus præesse videbatur. In vexillo Hispanorum per saecula apparuit et adhuc appareat animal leo, nam per eum significatur fortitudo et fidentia gentis Hispaniae. Figura leonis bis apparebat depicta in vexillo Hispano saeculi XVIII. Quamquam imago leonis tali modo quoque colebatur apud Britannos, tamen in vexillo Britanno saeculo XVIII non apparebat figura leonis.

35 **habetur**] “aestimatur,” “putatur.”

36 **lupus ille rapax**] c.f. “sic animis iuvenum furor additus. Inde, lupi ceu / raptore atra in

nebula” (*Aen.* II, 355). Apud Vergilium Aeneas vocat Graecos iuvenes lupos; nam Troiam patriam suam ceperunt. Cum in animis hominum exstat “furor” sive “insania,” homines, fiunt si-
cut animalia rapacia. Eisque est “aversa deae mens” (*Aen.* II, 170). Notio de furore est tra-
dita inde a Homero λύκοι ως (Hom. *Iliad* Δ, 471;
Λ, 72). Hispanus sit sicut leo, qui minime timet,
lupus, qui stat pro Anglo homine, praedas capit
non aperte, sed furtim. Vernon iracundus post
finem adversi proelii, coepit navigare huc illuc
in mari Caraibico quaerens praedas et alias vic-
torias, donec vocatus est ut iret ad curiam Bri-
tannam (Quintero, 274).

38 **carpere ... fugam**] Vehementius auditur
quam “capere fugam.”

38 **sunt pauci**] c.f. *Aen.* VI, 129. Secun-
dum consilium, quod Sibylla Aeneae dat, tantum
ἵρωες διογενεῖς, “dis geniti” qui sunt θεοφιλεῖς
et κάλοκάγαθοί, “quos aequus amavit Iuppiter”
potuerunt ex inferis exire (“capere fugam”).
Ex 23,600 Britannis militibus qui invaserunt
Carthaginem Indiarum, 6,000 perierunt. Ex
quibus 2,500 milites perierunt in proelio et 3,500
propter pestem et morbos. Alii 7,500 milites
Britanni sunt vulnerati et multi ex his vitam
amiserunt, cum pedem referebant ad Iamaicam.
Hispani vero, ex 2,800 militibus, amiserunt 800
milites; 1,200 vulnerati sunt. Ex Hispano-
rum conspectu, Britanni cladem multo maiorem

VI.¹¹ AD EOSDEM EXPROBANTES HISPANIS IGNAVIAM VEL TIMIDITATEM¹²

Si sunt ignavi, qui vos stravere Britannos,

40 iam vos ignavis quis neget esse minus?

*Vel sic*¹³

Est victus victore minor; iam collige lector,

victor si ignavus, quid, rogo, victus erit?

VII.¹⁴ SUPERAT MULTOS CUM PAUCIS CARTHAGO¹⁵

Non opus hoc magnum cum multis vincere paucos;

p.3

¹¹VI.: add. ¹²AD EOSDEM EXPROBANTES HISPANIS / *ignaviam vel timiditatem*. ¹³*Vel sic.* ¹⁴VII.: add.

¹⁵SUPERAT MULTOS CUM PAUCIS CARTHAGO.

39 **Britannos**,] Britanos; 41 **victore**] Victore 41 **lector**,] Lector,

39–40 **Si ... minus?**] *Si sunt inertes homines, qui vos Britannos vicerunt, quis non asseverabit vos esse illis inertibus vel minores?*

41 **Est ... erit?**] *Homo adversa pugna superatus est debilior quam ille qui eum superavit. Nunc audias, o lector; oro ut mihi dicas qualis sit homo ille devictus, si consideras eius victorem esse etiam inertem.*

43–44 **Non opus ... opus est**] *Non multum sudoris poscit paucos milites cum magno exercitu superare. Tamen hoc officium, hoc propositum est superare multos milites cum exiguo exercitu.*

habuerunt, nam perpauci capere fugam valuerunt (Victoria, 13, 320).

39 **ignavi**] Quantum conjectura suspicari licet, possumus aestimare Hispanos ignavos, postquam Britannos vicerunt. Nam, Hispani, si voluisserint, potuissent populum Britannum suo imperio subicere. Tamen, Britannis debilitatis, Hispani ansam non ceperunt (Victoria, 320). Attamen, possumus aliter intellegere Hispanos esse ignavos: nam saeculo XVI exstitit contumelia de Hispanis quae vocatur “fama nigra” (vulgo *La Leyenda Negra*).

40 **ignavis ... minus**] “minus quam ignavi” vel “inferiores quam ignavi.” Animadvertisendum est his versibus poetam loqui valde ironice ac

mordaciter contra Britannos. Postquam Hispani pepulerant Britannos ab ora Carthaginæ Indiarum, Britanni die 27 mensis Aprilis, anno 1741 adhuc damnis Hispanos affecerunt. Britanni ceperunt Hispanam navem nuncupatam a Galloca et ex tormento, igne admoto, proicierunt missilia sine cura et studio ad moenia, vel ad tholos ecclesiarum. Ictus fuerunt adeo leves, ut Hispani non sollicitarentur de sua victoria iam impetrata. Vernon iussit hos ictus proicere, ut possit se excusare de culpa et celare tam ignominiosam cladem coram senatoribus parlamenti (Quintero, 269-170).

41 **collige**] “constitue,” “statue.” Id est, ex indiciis ad quandam veritatem pervenire.

cum paucis multos, hic labor, hoc opus est.

45 haec patrare sciunt nostrae miracula gentes,
multos cum paucis sternere nempe viros.

45 **miracula**] Miracula 45 **gentes**,] Gentes, 46 **viros.**] Viros.

45–46 **haec ... viros.**] *Homines ex nostra stirpe scientiam habent quomodo res supra naturae vim et ordinem efficiant: scilicet, delere magnum exercitum cum paucis militibus.*

44 **cum paucis multos**] c.f. v. 43. Britanni paraverant in hoc bello classem multo maiorem quam classem illam insuperabilem a Philippo II paratam anno 1588 (Barton, 283). Haud scio an Britanni paraverint in hoc bello classem maximam, quae umquam exstiterit post illam quae impetum fecit in Normandiam in bello altero universali (Victoria, 13). In hoc proelio facto Carthagena Indiarum Britanni non victi sunt, ut Hispani saeculo XVI, ob tempestatem adversam. Potius Britanni cladem bello legitimo acceperunt et gladio comminus cum Hispanis rem gesserunt. Hoc bello fortitudo uniuscuiusque viri probata est (Victoria 319). Dicuntur quadraginta et tria cadavera ducum Britannorum manusse iacentia in loco pugnae, dimidia pars classis Britannicae esse exarmata a Hispanis, Britannia amisisse totum ius supra Carthagena Indiarum. Propter has causas victoria Hispana Carthagena Indiarum impetrata videtur esse multo maior quam victoria Britannorum saeculo XVI.

44 **hic labor, hoc opus est.**] In libro sexto *Aeneidos* Sibylla Aeneae dicit descensum ad inferos esse facilem, non ita ascensum ad superos; “hoc opus, hic labor est” (*Aen.* VI, 129).

45 **miracula**] Cum Britanni exercitum suum adducunt ad clivum Sancti Lazari, ubi situm est castellum Sancti Philippi, quod est arx Carthagena, comminus pugnant cum Hispanis militibus. Subito, circa meridiem, Hispani sunt conmoniti compellatione quadam singulari ad preces Deo effundendas. Hoc sono auditio, Britanni arma deponunt, Hispani genua flectunt ut supplicant Deo. Ex castello sacerdos nomine Thomas Lobo exit et dicit Hispanos genibus in terra flexis in precem ad virginem Mariam quae

nominatur “Angelus.” Blassius dicit milites, ut post se recitent omnia verba psalmi 69. Blassius hoc psalmo precatur Deum ut sibi auxilium det, nam Carthagena Indiarum versatur in periculo maximo: iam omnes equi Hispani necati erant, milites maxima siti et fame laborabant, res frumentaria deficiebat, Britanni milites ex omni latere castellum circumdabant, Hispani arma et tela iam vix habebant (Victoria, 307–308). Blassius in libello diario suo scripsit die 20 mensis Aprilis: *Este feliz suceso non puede ser atribuido a causas humanas, sino a la misericordia de Dios* (“hic successus felix non potest tribui causis humanis, sed Dei misericordiae”) (Victoria 317). Secundum Blassi sententiam Hispani non potuissent victoriam reportare, nisi fuisset propter providentiam divinam, quam in ipso bello expoposcerunt. Id est, victoria Hispana fuit miraculum ipsum.

46 **multos cum paucis sternere nempe viros**] hic agitur de incursione in fine proelii, quam Hispani fecerunt in Britannos cum Blassius iussisset portas castelli Sancti Philippi aperiri. Hispani terrore effecerunt ut Britanni per declivitatem supplantarentur; ita ut illi, qui fugam capere non possent, manserunt iacentes, fere explanati, dispersi in loco pugnae. Qui vero fugerunt, expulsi sunt pilis et ducti extra urbem ab Hispanis. In his versibus verisimilem nexum invenimus cum uno ex carminibus Centulensis quod inscribitur “De Festa S. Martini” in quo appetit versus hic: “Atque inibi atroces sternere nempe viros” (*Carm Cent.* XXVI). Haec carmina sunt scripta saeculo IX. Mos erat poetis neolatinis saeculo XVIII florentibus, Theodorico Sacré teste, sumere exempla tam ex antiquis, quam ex recentioribus scriptoribus (Sacré, 5).

VIII.¹⁶ FAMA IMMORTALIS, QUAM SIBI PEPERIT CARTHAGO INDIARUM¹⁷

Urbs Carthago ruit multos dominata per annos;

non ruet aeternos haec habitura dies.

IX.¹⁸ FESTI IGNES PRIMO PROHIBITI, POSTEA PERMISSI¹⁹

Mantua, laetitiae communibus abstine signis;

50 pro te Londinum publica signa dedit.

¹⁶VIII.: add. ¹⁷FAMA IMMORTALIS, QUAM SIBI PEPERIT / *Carthago Indiarum*. ¹⁸IX.: add. ¹⁹FESTI IGNES PRIMO PROHIBITI, / *postea permisi*.

49 **Mantua,**] Mantua

47–48 **Urbs ... dies.**] *Urbs Carthago antiqua, quae per multos annos regnavit, cecidit; haec (sc. Carthagena Indiarum) non cadet semper mansura.*

49–50 **Mantua ... dies**] *O Musa epica, lectores carminis mei, nolite poscere ut pangam carmen longum epicum ad victoriam celebrandam; Urbs Londinium, sane, pro carminibus spectacula praebuit.*

47 **Urbs Carthago ruit multos dominata per annos**] Poeta noster in hoc versu pangendo videtur imitatus esse Vergilium. C.f. “urbs antiqua ruit multos dominata per annos” (*Aen.* II, 363). Apud Vergilium Aeneas verba agit de gloria Troiae, sicut noster poeta de Carthagine antiqua. Possumus videre Carthaginem Indiarum esse recreatam et potentiores Carthaginem quae olim viguit. Eodem modo Vergilius cecinit de Roma, quae fuit recreata et potior Troia. Etsi genus huius carminis sit panegyricum, nonnulla vestigia rei epicae hic inveniuntur. Nam poetae neolatini secuti Vergilium cupiebant canere laudes de novis patriis ac imperiis.

48 **aeternos ... dies**] Adhuc, etiam usque ad hodierum diem, Hispani regnant in terra Columbiana, nam cultus, mores, religio et lingua sunt instituta ab Hispanis per saecula. Nisi Hispani victoriam reportavissent a Britannis in hoc proelio, condicio in America Meridiana nunc esset alia.

48 **haec**] “Carthagena Indiarum.”

48 **habitura dies**] scilicet, “manebit in aeternum.”

49 **Mantua**] “lectores,” “studiosi Vergilii,” vel “Musa epica,” casu vocativo. Vox quae est Mantua saepe in scriptis neolatinis spectat ad Vergilium. Fortasse noster poeta ironice dicit non opus esse scribere carmen epicum nimis longum, cum Londinienses iam celebraverint ignibus pyrotechnicis victoriam Hispanam (ironice hoc poeta dicit, quia re vera devicti Londinienses victoriam praematuram Britannam his

ignibus celebrabant).

49 **laetitiae**] genitivus coniungendus cum verbis quae sunt “communibus... signis.”

49 **communibus ... signis**] scilicet, “versibus (Vergilianis)” ablativo separationis. Postquam Britanni castellum Sancti Ludovici in insula Terra Bomba situm obsederunt, Vernon praefectus classis, misit navem nomine *Spencer* in Britanniam ut nuntiaret urbem Carthaginem Indiarum procul dubio victum iri, nam obstacula maiora iam essent superata (*Victoria*, 276). Navis missa pervenit Londinium die 17 mensis Maii, anno 1741. Omnes Britanni maxime laetabantur putantes Vernonem sine dubio mox reportaturum victoriam ex Hispanis.

50 **pro te**] “pro te Mantua.”

50 **Londinum**] “Londinium” est vox antiqua huius urbis (*Tac. Ann.* 14, 33).

50 **publica signa**] sc. “ignes artificiosos.” Secundum Pauli Victoriae narrationem Britanni, his nuntiis acceptis, habuerunt Londinii ignes artificiosos et festa per aliquot dies egerunt (*Victoria*, 276). Haec “publica signa” fortasse Londinii sunt habita, postquam nuntii decantaverunt victoriam proximam Britannam (sc. post diem 17 mensis Maii). Notandum autem est Hispanos victoriam reportavisse die 20 mensis Aprilis, anno 1741. Verisimiliter, Londinienses victoriam proximam Vernonis celebrabant nescientes Britannos Carthaginem esse devictos. Vernon manebat in insula Iamaica sperans se iterum facturum impetum in urbem Carthaginem. Tamen

X.²⁰ AD ANGLIAM, ET EIUS OCCULTA MOLIMINA IN HAC EXPEDITIONE DISSOLUTA²¹

Corruet haec rerum volvis quas pectore moles
inque tuum recidet machina forte caput.

²⁰X.: add. ²¹AD ANGLIAM, ET EIUS OCCULTA MOLIMINA / in hac Expeditione dissoluta.

51 **volvis**] volvis, 51 **moles**] moles; 52 **machina**] Machina

51-52 **Corruet ... caput.**] *O Britannia, illae laboriosae machinationes, quas in animo patras, hoc proelio sunt ad nihilum reductae. Fortasse tu ipsa earum effectum pati debebis.*

nuntius ad eum pervenit die 23 mensis Septembris, anno 1742, quo ille iubebatur a rege regredi in Britanniam. Vernon pervenit Londinium die 14 mensis Ianuarii, anno 1743.

51 **haec rerum**] “occulta molimina,” “machinatio occulta,” “consilium ad impetum denuo faciendum in urbem Carthaginem.” Die 24 mensis Aprilis, Vernon epistolium subsignavit, in quo dicebatur in concilio belli decretum esse ob morbos, qui iam serpebant cito per totum exercitum, pedem referre ad Iamaicam, ut, cum viri refocillati essent, possent reverti ad expugnandam Carthaginem (vid. notam in versum 29 sriptam).

51 **pectore**] “in pectore,” id est, “in animo.”

52 **inque**] “et in.” Praepositio quae est “in” coniungitur cum verbis quae sunt “tuum” et “caput,” quae hic sunt casu accusativo dicta.

52 **recidet**] Verbum quod est “recidet” sibi vult “cadet iterum.”

52 **machina**] Verbum substantivum quod est “machina” spectat ad consilia et rationes militares usurpatas contra hostes. Id est, eadem machinatio parata a Britannis erit eis postea noxiae (c.f. v. 29). Ut iam antea memoravimus, die 27 mensis Aprilis, Britanni quaedam missilia ex tormento igni admoto proicerant. Tamen haec missilia tantum nocuerunt Britannis, nam ob hoc ultimum consilium sex mortui sunt, quinquaginta sex ex eis vulnerati sunt, e contra nulli Hispani necati sunt (Quintero, 270). Sensus hic explanatur proverbio Verri Flacci quod est: “Malum consilium consultori pessimum,” quod etiam numeratur in Erasmi *Adagiis* (I, II, 14).

52 **forte**] Adverbium; “casu,” “fortunā.”

XI.²² AD SERENISSIMUM PHILIPPUM BORBONIUM PHILIPPI V REGIS FILIUM ET SUPREMUM MARIS PRAEFECTUM

(FIT ALLUSIO AD CARTHAGINEM MARITIMAM INDIARUM URBEM)²³

Et maris, et terrae insignitus nomine eodem
divisum imperium cum patre natus habet.

²²XI.: add. ²³AD SERENISS. PHILIP. BORBONIUM / *Philippi V. Regis Filium, & Supremum Maris Praefectum.* / *Fit allusio ad Carthaginem Maritimam / Indiarum Urbem.*

53 **maris,**] Maris, 53 **et**] & 53 **terrae**] Terrae 54 **divisum**] divisum 54 **patre**] Patre

53–54 **Et ... habet.**] *Philippus Borbonius est honestatus eodem ornamento imperii et maritimi et terrestris.*

53 **Et maris,**] haec verba substantiva sunt coniungenda cum verbis quae sunt “nomine eodem.”

53 **insignitus**] scilicet, “Serenissimus Philippus Borbonius,” “Philippus Infans.” “Philippus Borbonius,” “Infans Hispaniae.” Natus est Matriti die 15 mensis Martii anno 1720. Filius regis Philippi V et Elisabethae de Farnesio. Duxit uxorem Mariam Ludovicam, filiam Ludovici XV, regis Galliae anno 1739. Die 28 mensis Octobris, anno 1743, foedus inter Hispaniam et Galliam est factum, ut vinculum inter haec duo regna roboretur. Foedus appellatum est *Fontainebleau*. In votis erat reddere Imperio Hispano provincias antea Hispanas, quae erant praecipue Calpes (vulgo *Gibraltar*) et Balearis Minor (vulgo *Minorca*) quas Britanni ceperant, et in Italia potiri aliis novis terris, quae nondum erant in ditione Hispana (Altamira y Crevera, 48). Certamen pro his provinciis est factum terra marique. Philippus Borbonius vocatur maris praefectus in subtítulo huius partis, nam in bello successoris Principatus Austriae factus est dux in exercitu navalí Gallico. Hunc exercitum una cum duce Iosepho Campillo duxit (*Manual Hist. Esp.*, 119). Poeta panxit hoc carmen circa annum, quo Philippus Borbonius impetravit potestatem supra classes Gallorum et Hispanorum. Annis 1742-1743 Philippus Borbonius exercitum eduxit Sabaudiam. Dein, annis 1743-1745 Philippus ille Infans est factus dux Hispanus, qui expeditionem militarem duxit in Italiam (*Manual Hist. Esp.*, 121).

53 **nomine eodem**] Haec verba spectant ad nomen urbis Carthagena Indiarum, quae est tamquam praesidium Imperio Hispano (vid. no-

tas in versus 13-14 scriptas). Urbs Carthagena pollebat et terra et mari, tamquam Philippus Borbonius, qui quoque potestatem habebat et in terra continenti et in regionibus maritimis. Fieri potest ut hic intellegamus haec verba non tantum ut comparationem quae fiat inter Carthaginem Indiarum et Philippum Borbonium, sed etiam ut causam cur ipse Philippus Borbonius habeat potestatem terrestrem et maritimam. Nam Carthagena Indiarum dicebatur esse “Clavis Imperii (Hispanii),” cum ibi exstaret aditus ad terras, ex quibus veniebant opes et divitiae Imperii Hispani. His divitiis Imperium Hispanum non modo sustinebatur, sed etiam crescebat. Itaque, Philippus Borbonius est “insignitus” magna gloria supra terras et maria propter Carthaginem Indiarum.

54 **divisum**] Rex Galliae promisit dare dominatum Infanti Philippo supra Parmam, Placentiam et Mediolanum. Attamen Mediolanum non redactum est ad dicionem Hispanorum Gallicorumque. Nec feliciter successit expeditio quam Philippus Borbonius duxit Nicaeam et Pedemontium. Ad hoc Philippus tantum potitus est Parma, Placentia et Guastalla (Altamira et Crevea, 48).

54 **imperium**] Imperium Hispanum extendebatur in America Septentrionali inde a California usque ad fluvium Missurium et in America Meridionali usque ad Terram Ignis (vulgo *Tierra del Fuego*), quae terra nunc sita est in ima parte Americae Meridianae, in patria quae hodiernis temporibus Chilia nuncupatur, et deinde usque ad Philippinas per totum Oceanum Pacificum (Victoria, 40).

55 Mars pater in terris, Neptunus regius infans:

alter dat terris iura, dat alter aquis.

54 **natus**] Natus 55 **pater**] Pater 55 **terris,**] Terris, 55 **regius**] Regius 55 **infans:**] Infans: 56 **terris**] Terris 56 **aquis.**] Aquis.

55–56 **Mars ... aquis.**] *Nam filius communicavit regnum cum patre. Pater, Philippus V, ut Mars, agit in terris; filius, Princeps Philippus Borbonius, agit ut Neptunus. Alter in terris, alter in aquis regnat.*

APPENDIX
EXCERPTUM EX OPERE ANTONII DE HERRERA CUI TITULUS EST
*Novus orbis sive descriptio Indiae Occidentalis*⁶⁰

Cartagena

Provincia et praefectura Cartagenae ad oram Terrae Firmae et maris Atlantici longitudine sua ab oriente in occidentem excurrit, a fluvio *la Madalena* ad fluvium del Darien, 80 vero leucis a meridie in septentrionem, totidemque ad confinia usque Novi Regni, quamquam distantia haec adhuc maior esse credatur. Regio montosa est, et rupibus aspera. Valles habet altis arboribus consitas. Aerem habet pluvium et humidum. Sata Castellanæ semen non ferunt. Nec tritici nec auri ferax est, nisi in quibusdam tractibus. Magna hic resinae et aromatici gummi, nec non aliorum succorum copia ex arboribus colligitur. Ad haec sanguis draconis, balsama fragrantissimi odoris, maximarumque facultatum.

Civitas Cartagena mari vicina duabus a cuspide *de la Canoa* versus occidentem lucis abest, latitudine gradibus 10 longitudine 76 a Toleto leucis 1470. Cives habet plus quam 500 interque eos miliebris sexus supra 200. Sedes est Gubernatoris, eorumque qui redditibus regiis praefecti sunt, nec non gazophylacii et ecclesiae cathedralis suffraganeæ Novi Regni. Coenobium habet Dominicanorum. Sita est in planicie ac paeninsula septentrionem contra. Litus est vastum et vadosum valde, et parte qudam bracchii instar in mare excurrit, ita ut lacum efficiat *de Canapote*, qui uti maris aestus iisdem horis adfluit et refluxit. E civitate per pontem itur in ipsam continentem, qui instar viae stratae aditum et exitum praebet, longitudine 250 circiter passuum. Fundata est loco arenoso, sinusque habet et maris diverticula in quibus dulces aquas reperiare est. Temperies aeris subinde insalubrior est, quamquam minus, quam ora urbis *Nombre de Dios*, idque propter foedos stagnorum et lacuum halitus, qui dolorum morborumque causa sunt. Portum habet cum aliis Indiae totius portibus commoditate certantem, quamquam maiorum navium statio paulo ab ipsa urbe remotior sit. In ipso urbis aditu insulam adspectat similem insulae *Escombe-rae* in Cartagena Castellanorum. Quae causa fuit, quod urbem hanc Cartagenam quoque vocaverint, insulam vero, *de Codege*, hodie *de Carex*. Longitudo duarum est leucarum, latitudo unius aut paulo amplius. Sedem hic olim piscatores Indi fixerant. Aqua caret. Primus Carthagena detexit *Rodrigo de Bastidas* anno 1502 et anno 1504 terram concendit *Ioannes de la Cosa*, reperitque ibidem *Lodovicum Guerra* qui primi bella gesserunt cum Indis, hominibus superbis ac audacibus. Pugnabant hic non viri solum, sed et feminae, quibus arma erant venenatae sagittae, quibus laesos crudeliter enecabant. Postea huc reversus est *Alphonsus de Oieda* comitatus *Ioannes de la Cosa* supremo navium ductore et *Americo Vespuvio* nauta et paucis post annis colonos in eam deduci curavit *Gregorius Hernandez de Obiedo*. Anno 1532 colonis hos tractus auxit *Petrus de Heredia* natus

⁶⁰*Novus orbis sive descriptio Indiae Occidentalis* (Amstelodami: Apud Michaelem Colinium Bibliopolam, 1622). In excerpto hic proposito auctor describit qualis sit locus ubi Carthagena Indiarum est sita. Orthographiam et signa interpungendi accommodavimus ad rationem classicam quae vocatur. Nonnulla nomina propria sunt litteris inclinatis scripta, ut apparent in editione qua usi sumus. Antonius de Herrera y Tordesillas (1549-1625) fuit annualium scriptor regius, Philippo II rege. Scripsit de rebus Hispanorum in novo orbe quae sunt gestae usque ad annum 1554. (Gordon, Campbell, *The Oxford Dictionary of the Renaissance* (Editio electronica: Oxford University Press, 2005), s.v. "Herrera y Tordesillas, Antonio de"), doi: 10.1093/acref/9780198601753.001.0001.

Matritii, magnamque harum regionum partem subdidit quamquam magnis laboribus et non sine astu et vario strategemate. Negotium siquidem illi erat cum gente bellicosa in qua femina erat 18 circiter annorum quae antequam se in manus hostis sui dabat octo Castellanos arcu suo straverat.

INDEX SUBSIDIORUM QUAE IN HOC COMMENTARIO NOMINE COMPENDIARIO
APPARENT

- Altamira et Crevea Altamira y Crevea, Rafael. *Historia de España y de la Civilización Española*. Tom. IV. Barcinonae: Herederos de Juan Gili, 1911.
- Barton Barton, Simon. *A History of Spain*. Secunda Editio. Hanoniae et Novi Eboraci: Palgrave, Macmillan, 2009.
- De Eslaba De Eslaba, Sebastián. *Diario de todo lo ocurrido en la expugnación de los fuertes de Boca Chica, y sitio de la ciudad de Cartagena de las Indias*. Formado de los pliegos remitidos a su Magestad (sic) (que Dios guarde) por el Virrey de Santa Fé Don S. de E. con Don Pedro de Mur, Su Ayudante General, 1741.
- Forcellini Forcellini, A., Furlanetto, G., Corradini, F., Perin, G.. *Lexicon Totius Latinitatis*. Bononiae: Gregoriana, 1965.
- Manual Hist. Esp.* Aguado Bleye, Pedro and Cayetano Alcázar Molina. *Manual de Historia de España*. Tom. III. Matriti: Espasa-Calpe, S.A. 1956.
- OCD² Hammond, Nicholas Geoffrey Lemprière, et Howard Hayes Scullard. *Oxford Classical Dictionary*. Secunda Editio. Oxonii: Clarendon Press, 1970.
- Page Page, T.E. ed. *The Aeneid of Virgil: Books I-VI*. Londinii: Mcmillan, 1955.
- Quintero Quintero Saravia, Gonzalo. Don Blas de Lezo: Defensor de Cartagena de Indias. Bogotae: Editorial Planeta Colombiana, 2002.
- Sacré Sacré, Theodoricus. “De Litteris Saeculi XVIII Latinis Prolusio (II).” *Melissa*, 187. Bruxellis: Auspiciis Domus Erasmiana et Academiae Latinitati Fovendae, 2015.
- Ships and the Sea Dear, I.C.B. et Peter Kemp. *The Oxford Companion to Ships and the Sea*. Secunda Editio. Editio electronica: Oxford University Press, 2007. doi: 10.1093/acref/9780199205684.001.0001
- Smith Smith, William et Theophilus D. Hall. *Smith's English-Latin Dictionary*. Liber denuo impressus, Waucondae: Bolchazy-Carducci Publishers, Inc, (1871) 2000.
- Victoria Victoria, Pablo. *El Día que Cartagena derrotó a Inglaterra*. Matriti: Editorial Edaf, 2015.

CONSPECTUS OPERUM QUAE AD BELLUM INTER HISPANOS ET ANGLOS
CARTHAGENAE INDIARUM GESTUM SIVE AD LATINITATEM SAECULI XVIII
ALIQUO MODO SPECTANT

- Altamira y Crevea, Rafael. *Historia de España y de la Civilización Española*. Tom. IV. Barcinoae: Herederos de Juan Gili, 1911.
- Aguado Bleye, Pedro and Cayetano Alcázar Molina. *Manual de Historia de España*. Tom. III. Matriti: Espasa-Calpe, S.A., 1956.
- Barton, Simon. *A History of Spain*. Secunda Editio. Hanoniae et Novi Eboraci: Palgrave, Macmillan, 2009.
- Berggen, Maria. “Andreas Stobaeus. Two Panegyrics in Verse. Edited, with introduction, translation and commentary.” *Dissertatio Doctoralis, Universitas Studiorum Uppsaliensis*, 1994. Uppsalae: Acta Universitatis Upsaliensis, 1994.
- Campbell, Gordon. *The Oxford Dictionary of the Renaissance*. Editio electronica: Oxford University Press, 2005. doi: 10.1093/acref/9780198601753.001.0001.
- Cannon, John. *A Dictionary of British History*. Prima Editio Retractata. Editio electronica: Oxford University Press, 2015. doi: 10.1093/acref/9780199550371.001.0001.
- Carthago Indiarum obsesa (sic) sed non expugnata*. Matriti, 1742.
- Coroleu, Alejandro. “Neo-Latin Literature—Spain: The Long Sixteenth Century.” In *Brill’s Encyclopaedia of the Neo-Latin World*. Ediderunt Philippus Ford (†), Ioannes Blomendal, Carolus Fantazzi. Tom. II. Lugduni Batavorum: Brill, 2014.
- _____. “Neo-Latin Literature—Spain: The Seventeenth and Eighteenth Centuries.” In *Brill’s Encyclopaedia of the Neo-Latin World* Ediderunt Philippus Ford (†), Ioannes Blomendal, Carolus Fantazzi. Tom. II. Lugduni Batavorum: Brill, 2014.
- Dahlberg, Elena. “The Voice of a Waning Empire. Selected Latin Poetry of Magnus Rönnow from the Great Northern War. Edited, with Introduction, Translation and Commentary.” *Dissertatio Doctoralis, Univesitas Studiorum Uppsaliensis*, 2014. Uppsalae: Acta Universitatis Upsaliensis, 2014.
- De Eslaba, Sebastián. *Diario de todo lo ocurrido en la expugnación de los fuertes de Boca Chica, y sitio de la ciudad de Cartagena de las Indias*. Formado de los pliegos remitidos a su Magestad (sic) (que Dios guarde) por el por el Virrey de Santa Fé Don S. de E. con Don Pedro de Mur, Su Ayudante General, 1741.
- Dear, I.C.B. et Peter Kemp. *The Oxford Companion to Ships and the Sea*. Secunda Editio. Editio electronica: Oxford University Press, 2007. doi: 10.1093/acref/9780199205684.001.0001
- de Herrera, Antonius. *Novus orbis sive descriptio Indiae Occidentalis*. Amstelodami: Apud Michaelem Colinium Bibliopolam, 1622.
- Hammond, Nicholas Geoffrey Lemprière, et Howard Hayes Scullard. *Oxford Classical Dictionary*. Secunda Editio. Oxonii: Clarendon Press, 1970.

- Hartmann, Cyril Hughes. *The Angry Admiral: The Later Career of Edward Vernon Admiral of the White*. Londinii: William Heinemann, 1953.
- Hendricks, Margo. "Managing the Barbarian: The Tragedy of Dido, Queen of Carthage." *Renaissance Drama*, New Series, 23. (1992): 165-88.
<http://www.jstor.org.ezproxy.uky.edu/stable/41917288>.
- IJsewijn, Iosephus. *Companion to Neo-Latin Studies*. Tom. I. Lovanii: Leuven University Press, Peeters Press, 1990.
- IJsewijn, Iosephus cooperante Theoderico Sacré. *Companion to Neo-Latin Studies*. Tom. II. Lovanii: Leuven University Press, 1998.
- Laird, Andrew. *The Epic of America: An Introduction to Rafael Landívar and the Rusticatio Mexicana*. Londinii: Duckworth, 2006.
- Lemaitre, Eduardo. *Historia General de Cartagena*. Tom. II. Bogotae: Banco de la República, 1983.
- Maps-For-Free. "Relief Maps." maps-for-free.com
- Minkova, Milena. "Orthography of Neo-Latin." In *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World*. Ediderunt Philippus Ford (†), Ioannes Blomendal, Carolus Fantazzi. Tom. II. Lugduni Batavorum: Brill, 2014.
- Mir, Iosephus. *Probata ratio scribendi et interpungendi in scriptis Latinis*. Romae: Academia Latinitati Fovendae, 1990.
- Ocampo López, Javier. *Historia Básica de Colombia*. Quinta Editio. Bogotae: Plaza et Janes Editores, 2007.
- Page, T.E. *The Aeneid of Virgil: Books I-VI*, Londinii: Mcmillan, 1955.
- Quintero Saravia, Gonzalo. *Don Blas de Lezo: Defensor de Cartagena de Indias*. Bogotae: Editorial Planeta Colombiana, 2002.
- Sacré, Theodoricus. "De Litteris Saeculi XVIII Latinis Prolusio (II)." *Melissa*, 187. Bruxellis: Auspiciis Domus Erasmiana et Academiae Latinitati Fovendae, 2015.
- Smith, William et Theophilus D. Hall. *Smith's English-Latin Dictionary*. Liber denuo impressus, Waucondae: Bolchazy-Carducci Publishers, Inc, (1871) 2000.
- Victoria, Pablo. *El Día que España derrotó a Inglaterra*. Editio Quinta. Matriti: Editorial Edaf, 2015.
- Zapatero, Juan Manuel. *La Guerra del Caribe en el Siglo XVIII*. Sancti Ioanni Portus Divitis: Instituto de Cultura Puertorriqueña, 1964.

VITA

Dionysius Toscano natus est Metellini in Columbia, ubi vixit donec perfecit sua studia in lyceo. Cum Lares transtulisset in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis, gradum baccalaureatum impetravit in studiis philosophiae anno 2010 in Collegio Christendomiensi (vulgo Christendom College) quod situm est in Virginia. Thesin exaravit cui titulus fuit “The use of Aristotle by Saint Bonaventure, Siger of Brabant and Saint Thomas Aquinas in their debates surrounding the question of what reason can know about the duration of the world.” Gradu accepto, docuit in urbe Scrantonio in Pennsylvania linguam Latinam in lyceo a Sancto Gregorio nuncupato per spatium unius anni (2010-2011). Tum, studuit per annum litteris Latinis Graecisque Romae in Academia Vivarii Novi (2011-2012). Inde ab anno 2012 usque ad annum 2014 docuit in lyceo nomine *The Highlands School* (in urbe Irvinio in Texia) tam linguam Hispanicam quam linguam Latinam. Tempore autumnali anni 2014 coepit studia gerere in curriculo magistrali litterarum classicarum in Universitate Studiorum Kentukiana.

Dennis Toscano was born in Medellín, Colombia where he lived until completed his high school education. Shortly after, he moved to the United States where he earned his bachelor's degree in Philosophy from Christendom College in Virginia in 2010. His undergraduate thesis' title was “The Use of Aristotle by Saint Bonaventure, Siger of Brabant and Saint Thomas Aquinas in their debates surrounding the question of what reason can know about the duration of the world.” After his bachelor's degree, he taught high school Latin at St. Gregory's Academy in Scranton, Pennsylvania for one year (2010-2011). He then studied Classics at the *Accademia Vivarium Novum* in Rome, Italy (2011-2012). From 2012 to 2014, he taught high school Spanish and Latin at the Highlands School in Irving, Texas. In the Fall of 2014, he began pursuing his Master's degree in Classics from the University of Kentucky.